LITVRA

ſeu

CASTIGATIO
CANCELLARIÆ HISPANICÆ

à

LVDOVICO CAMERARIO
Excancellario Bohemico, Exconſiliario
Heidelbergenſi &c. inſtructæ.

AVCTORE

FABIO HERCYNIANO
I. C.

Caluiniſtarum non poſſunt mille lituræ
Emendare libros, vna litura poteſt.

BRVGGHOVII
Typis VICTORIS Hauſtreich/
M. DC. XXIII.

Digitized by Google

Digitized by Google

LVDOVICVS CAMERARIVS

LECTORI

SALVTEM dico, quam ipſe non habeo; adeò in hac acerba fortuna humanitatis memor, vt mecum perire neminem velim: ſine me omnes, qui ſine me eſſe volunt, quales Papiſtæ ſunt, procul dubio iuſtam virtutem nondum adepti, quòd mihi ſimiles, factioſos homines, tolerare neſciant, materiam virtutis. Ego, mi Lector, quòd iam nôſti, Conſiliarius Palatini Principis fui, eloquentiâ & ingenij gloriâ inter meos ferox; operã primam dedi, vt Princeps meus maior fieret, ne minor ego manerem, humilium enim eſt loco intra fortunam ſuam ſtare; maior indoles altiora ſpectat: & audendum omnino illi eſt, qui nobilitari cupit. Ad incrementum autem honoris noſtri, opportunum videbatur, quia Domi creſcere non licebat, foris ceruicem attollere, atque per ſpecioſos gradus

alieni regni ſolium ſcandere; ſatis amplum certè iudicaui, ſi Princeps meus Rex fieret, & ego facerem. Tentauimus ergo, ingenti animi fiduciâ, vnicam magnarum rerum diſpenſatricem Fortunã, quam pro Numine venerabamur, & rebamur nobis amicam: eramus enim Candidati eius Caluiniſtæ, fauore Deæ præ alijs gentium digniſſimi, quippe toti eius auſpicijs addicti, toti ab illa pendentes, & felices etiam, ſi ipſa à nobis pependiſſet. Sed heu, Orbe, quo ſtabat, verſo, infida fefellit, & quos blanda extulerat, infeſta deiecit, ictu immortali, ſenſu æterno.

Scilicet occidimus, nec ſpes eſt vlla ſalutis:

Non acquiſiuimus aliena, & amiſimus noſtra. Bohemiâ infauſto pede aditâ, pulſi armis ceſſimus, cùm repetere Rhenum cogitamus, armis excludimur. Ergò aliena terra, Duce miſericordia, quærenda, in qua non Domini, ſed exules eſſemus; hoſpites pro inquilinis facti; ſtipem ac opem ab ijs poſtulaturi, quibus antehac tuleramus. Ita in ludibrium hominum deſtituti; triſte, ſed ſalutare poſteris exemplum. Princeps certè meus iniquitate ſortis oppreſſus, & dolore mutus, hæc miſerandi exulis imagine perorat Principibus: In magna

Digitized by Google

gna fortuna demiſsè viuendum, & quidem, longè infra fortunam: minorem ſtare diu ſummis non poſſe; neminem aſcendere aliena faſtigia, niſi ad Caſum, neque enim quieti locus eſſe poteſt, vnde alius deturbatus eſt. Qui deijcis alium, inſtruis aliũ, vt & te deijcere diſcat.

Sed non ſolus Princeps meus ſpectaculo Mortalibus prodit, prodeo & ego in theatrum ignominiæ, relegatíque perſonam ſuſtineo imparem meis humeris, quibus ſplendidum honorem deſtinabam, mitius pondus. Oculos itaque, quandò ita fata tulere, paſce Europa, & diſce felicem eum eſſe Principem, qui Deum ante Conſiliarios audit: nam conſulendi nõ raró circumſident Principem, ſibi conſulturi. Quid Princeps in medium afferat arrectis auribus excipiunt, ſed non tam quid dicat; quàm quid velit, per blanditiam obſeruant, velificaturi mox pro flatu venti, mancipia incertæ gratiæ, quam captant. Quid poſt eiuſcemodi Senatuſconſultum Princeps faciet? auidiùs faciet, quod facere libebat, antequam ſententias rogaret. Quid opus erat tam pretioſo conſeſſu, ſi iudicium penes affectum eſt? Cupiditas conſultore non eget, vt creſcat; eget, vt frenetur. Mihi certè horum non

ignaro inhibitus Princeps meus fuiſſet, ſed ſperatus honos, tenuis ac pereuntis fumi imago, & durius illud lutum tot Mortalibus noxium, quod aurum appellamus, læuam mentem meam adeò faſcinauit, vt Dominũ meum juuenili ſpiritu turgentem, quotidianis ſibilis inflarem magis, ac certum in exitium impellerem. Quòd ſi ego fefelli, quis non fallet? ego, inquam, cui nihil eorum defuit, quibus politiæ Magiſtri Conſiliarium inſtruunt. Fui enim ab initio fidelis, cautus & ſecretus.

Fidelem inde primò arbitrare, quòd Dominum in Bohemiam iter ſuſcipientem ſequutus ſim, eo fine, vt ſi ille regni diademate inſigniretur, ego ViceCancellarius fierem.

Fidelem deinde arbitrare, quòd cùm Dominus meus è Bohemia fugit, ne ab eo diuellerer, pariter fugi; hoſtis ad portam erat.

Fideliſſimum demum arbitrare; quæ enim maior fidelitas, quàm principem ſuum etiam in exilium comitari, præſertim cùm alias terras hoſtis intutas reddit.

Cautus fui cùm operam dedi, ne Princeps meus regnum alienum recuſaret, & ego ViceCancellariatum amitterem; non quilibet dies has fortunas vehit. Cau-

Cautus fui, cùm fugam Pragenſem ſuaſi, ne Dominus & ſeruus poſt pugnam Victori præda ſtaremus.

Secretus fui, ſi quiſquam alius, ſemper enim in hoc ſtudium incubui, vt peior eſſem, quàm oſtenderem.

Secretus fui, cùm domi arma ſuaſi; & foris pacem venditaui; imò vel hodie adeò ſecretis deditus ſum, vt ſecretiſſima Cæſaris, aliorúmque Principum litteras per fraudem exceperim, reſerârim, & legerim, aliíſque legendas, vt omnes à Secreto ſecreta noſſent, in publicum emiſerim, ſi non vllo Principum damno, vindictæ certè meæ gaudio. Quòd ſi quis interroget, an nihil addiderim, variârim, aut detraxerim? Sciat ille me non ita conſtitutum, vt curioſitati reſpondeam. Lege Lector, & crede, quod voles, ego quoque ſcripſi, quod volui. Editæ ſunt Epiſtolæ meâ fide, quæ melior eſſe non poteſt, quàm ego ſim: Quid religionis mihi eſſet in hoſtium Epiſtolis? Inimicis hoſtilia facimus, facimus & Epiſtolis, vt aliud ſignificent, quàm velint, qui ſignificant. Nulla vnquam fit iniuria hoſti, niſi ſubinde iniuria ſit, vbi poſſis nocere, parcere. Libuiſſet imò verò, peiùs explicare omnia, ſi

ad

Digitized by Google

ad omnia ingenium ſuffeciſſet. Fateor igitur me longè alia intelligenda proponere, quā alij ſcripſerint, quia & ipſi longè alia ſcripſerunt, quàm ego intelligam. Hoſtis ſum publicus, vbique offendere paratus, ſeu vero, ſeu falſo; felix ſi alterutro queam. Sileant igitur Papiſtæ, nec mihi fraudes obiectent; ne ego quidem vnquam ipſis arma illorum tanquam inhoneſta obieci, Inimici ſumus, inimica agimus; agant illi factis, ego verbis. Sed mea verba falſa ſunt? quid refert? maior gloria erit, debiliori armorum genere, falſis viciſſe. Vale Lector, qui faues; ceteri me valere iubebunt.

INGRESSVS IN CANCELLARIAM HISPANICAM.

VETVS Germanis dictum eſt, à Verbis ad Verbera deueniri; plerumq; enim in rixis contingit, vti accenſa per iracundiam lingua rixantium manus prouocet. Caluiniſtæ, vt omnia ſolent, & dictum, & factum inuertunt; poſt Verbera ad verba deſcendunt. Multis abhinc annis armaria Germaniæ impleuere, comparatis omnis generis belli Inſtrumentis, vti datâ aut quæſitâ occaſione Catholicos fide antiquâ, ac innocentiæ fiduciâ ſecuros inuaderent, peſſiméque mulctarent, Religionis odio, licet non diſplicerent etiam regiones, quas ſuæ ditionis adlaborabant facere.

In Bohemia fato vrgente veſaniæ initium datum, leui ab initio, & affectato. Libido inuaſit Caluiniano ſpiritu ebrios in alieno profanum fanum ædificandi. Cum obſiſteret fundi Dominus, & temeritas non inueniret patrocinium Pragæ apud Iuſtitiæ Præſides, patratum eſt facinus quale in paucis vidit omnis retro ætas. Proceres regni & regi proximi per furorem arrepti, atq;

ex alto per feneſtras deiecti; teſtimonio ſæculis futuris, Caluiniſtas apud tribunalia, ſi obtinere nil poſſint, ius ſibi violentum dicere, ſententiámq; iudicum ſanguine ſcribere. Tympana mox inſonuêre ac inſani Taratantara Martis; ſcriptus Miles, ſceptrum Regni arreptum, exutâ per ſummam perfidiam Regis reuerentiâ; prouinciæ inſuper vicinæ ſollicitatæ, & in Societatem ſceleris accitæ, ad defendendam Religionis pacem, quam nemo turbauerat præter ipſos, qui vindices videri volebant. Multitudo erat imparium, ſuopte ingenio, varijs rectoribus poſt paulo tumultuatura & diſcordias in ipſa ſuæ ſeditionis concordia paritura; quod ne fieret; & vt cum Capite quóque inſanirent, religionis ſuæ regem creauêre Regulum Heidelbergenſem, cuius honori magis omnino conſuluiſſent, ſi nullum detuliſſent. Ergo & ipſe Solij appetens armatur cum armatis in Cæſarem, legitimum Bohemiæ regem, bellóque etiam Auſtriam laceſſit, quaſi Regni raptus minor eſſet tanto raptore. Cæſar à Caluiniſtico furore vltima metuens copias pariter obijcit, extractóſque Auſtriâ hoſtes ad Pragam & ſuâ, & affini Bauari manu magno prælio concidit, ſpéſq; Caluiniſtarum per Bohemiam in perpetuum affligit, memorabili clade.

Senſit & Mansfeldius licet abſens, atque intra Pilſnæ mœnia latens hunc aduerſæ pugnæ ictum, minime

tamen

Digitized by Google

tamen animo concidit; auget intentiùs altero anno in Palatinatu copias ſuas, metuendus non minùs Bauariæ quam Bohemiæ. Tillius Militiæ Bauaricæ legatus, poſt domitum armis Ellenbogium, adulto iam vere Mansfeldianos progreſſus ad fines Bohemiæ caſtra contra caſtra locando tamdiu moratur, donec Sereniſſimus Dux ipſe, capto per vim Chamo, Mansfeldij tergo imminet. Intercludi à duobus exercitibus exitiabile ſibi videbat Mansfeldius, vni impar; nec fugaciſſimo Duci exitus patebat. Ergo dolum molitur, veritate Caluinianâ vſus, hoſtem ſimulatè exuit, Cæſari fidam dexteram pollicetur, cum Bauaro paciſci incipit, abducendum exercitum & exauctorandum ſpondet, omnia alia promittit, nihil ſeruaturus.

Abit igitur ſuo mendacio tutus: vbi longius profectus, & ſpatij interuallum ademit metum, ingenium oſtendit, ac properato itinere, non ſine graui, quâ tranſibat Incolarum maleficio, Rhenum petit, deprædaturus Catholicorum terras. Primum impetum ſolutâ Franckenthalij obſidione, in agrum Spirenſem fecit, Epiſcopo infenſus, latè omnia depopulatur, arces & oppida occupat, diripit, incendit, nihil bellicæ Calamitatis omittit. Præuidebat Bauarus verſutum hominem, in catholicos iturum, atq; ea re Tillium cum ſelectâ manu inſequi hoſtem prouideréque mandat, ne quid damni

Cæſari parentes patiantur. Hiems cæpta occupauit, & Mansfeldius per brumam deſultorios dies egit, vbi plus prædæ, ibi plus moræ fecit, néque pronum erat Tillio graui cum militia vagum Mansfeldij equitem ſectari.

Vere nouo Marchio Durlachius, qui per frigora magnas conquiſitiones Militum inſtituerat defenſionis ſpecie, verbis amicus, cum opportunum videbatur hoſtis, ex inſidijs bellum indicturus, & geſturus. Ergo pæne circumuentus Tillius, vbi non ſine militum iacturá inſidijs ſe expediuit, operam dedit, vti impunis ne eſſet, amica fallacia, iuncto ſibi Cordubâ Hiſpano, Duce impigro ad Wimphingam Marchionem tormentis, machiniſque nouâ arte fabricatis præſidentem cruentâ pugnâ fundit, omnibuſque impedimentis exuit, tam breui militiâ, vti Marchio Imperatorem fuiſſe ſe alio nomine non ſciat, niſi clade ſuâ.

Interea Mansfeldius Ladeburgum obſidione vexat, ac cæſo præſidio, vrbem prope excidio mulctat. Comperto deinde Marchionis exercitum cæſum, par malum metuens, copiáſque ad Mohhemium Rhenum traijciens repetiuit Alſatiam, vti, quod hiemali ſæuitiæ reliquum erat, militari libidine deuaſtaret.

Deuicto, vti memoraui, Durlachio Halberſtadienſis Princeps, iuuenta & viribus ferox, atq; etiam ſpolijs Pader-

Paderbornenſium ſpectabilis, ſuppetias laturus rebus in Palatinatu propemodum conclamatis cum exercitu ad Rhenum mouit, iuncturus ſe Mansfeldio, qui ex Alſatia ad famam aduentantis auxilij redibat. Sed Tillius Cordubáque vt diuerterent alterutras partes, ne coire poſſent, iêre obuiam Halberſtadienſi, & haud procul Franckofurto inuentum, nec admodum detrectantem pertraxêre ad certamen, quo omnis prope eius exercitus deletus; ipſe cum paucis millibus beneficio pontis, pernici equo euaſit, decuſſo per rapidum curſum vt ferunt pileo, & ſummis Mæni vndis fluitante: nec dubito Mansfeldium abſentiæ non penituiſſe; certe nihil moratus (dimiſſo ê cuſtodia Darmſtadienſi quem contra ius fas Caluiniſtæ nihil hoſtile metuentem ceperant) cum ipſo Palatino ac Halberſtadio [redacted] ex fuga recepto per notam iam viã, obiecto hoſtibus Rheno, in Alſatiam rurſus duxit, ibíq; poſt exſaturatam diripiendi cupiditatem, cum tutum non videretur, in Palatinatum reuerti, per Vogaſi iuga in Lotharingiam cum non modico incolarum damno deſcendit, Galliæq; confinia emenſus ad Belgij limites acie Cordubenſi victus, perrupit tamen cum mutilato brachium Halberſtadienſi, ac in Hollandiam euaſit, nunc in Friſienſi littore ſtatiua habet nauiturus in altum ad Neptunum (ad Scyllam mallem) ſi terrâ pellatur.

Tillius fugato ab omni parte hoſte Heidelbergam

Palatinæ gentis caput, & nouis vallis (quibus temeritas Caluiniana indiderat nomina, Cæſarem Bauarúmque per contemptum prouocantia trutz Kaiſer/trutz Bayr/ quaſi dicas veni ſis & aude Cæſar; veni ſis & aude Bauare) ſtolidè ſuperbam milite cingit, atq; intra paucos dies coronâ expugnat, interfectis qui obſiſtebant Præſidiarijs; cæteris arx Vrbi imminens, in quam confugerant, ſaluti fuit. Dedita & illa dein eſt, ſine ſanguine. Monhemium reſtabat, par validiſſimis Germanorum propugnaculis, & in quo ſita ſpes omnis Caluinianorum erat, neque credebat quiſquam præter Tillium, ab Tillio niſi longiſſimâ obſidione occupari poſſe. Occupauit velociter ac feliciter, ita quidem, vt hoſtis ipſe prope auidiùs exiret, quàm Tillius intraret.

——Hinc ſæcula diſcant,
Indomitum nil eſſe pio, tutumque nocenti.

Amiſſo igitur Monhemio, cum nihil rei & ſpei ſupereſſet, ac hoſtes, qui prouocauerant primi iacerent contuſi, tuberibúſque liuentes, ab infauſtis verberibus, vti ſupra dixi, ad verba decurrunt, ad linguam aio & calamum, & quidem quâ virulentiâ linguæ pugnent ex calamo, linguæ exemplo, haud magno acumine coniecto, calamus autem Caluiniſticus, & ab omni parte poſt tot commiſſa piacula ſceleris purus; innocentia ipſa in-

nocentior, pacis priſtinæ amantiſſimus, belli deteſtator, & Catholicæ militiæ accuſator accerrimus; nempe haud dubie peccatum eſt, quod Catholici induerint arma; his enim quietis Caluiniani, quæ ſperabant, iam occupaſſent, tranquilléque viuerent, imo adeo ipſi etiam viuerent tranquillè Catholici, quia cum amiſiſſent omnia, non ampliùs haberent, quod porro curarent. Nunc omnia fluctuant, ſpes vtrínque, metus vtrínque, querela penes victos: dolor & oppreſſæ ambitionis indignitas diſertos facit.

Inter alios facundiâ eminet auctor Conſiderationum, quas Hiſpanicæ Cancellariæ prætexuit, niſi nidor nares fallat Camerarius, celebris ille Palatini Achitophel, qui principem ſuum vnâ cum Achate Walramo à Pleſſen prauis conſilijs euertit, cuius iam infelicitatem alienâ inuidiâ deplorat; cæcam ambitionem ſuam debebat. Principem facile ætas excuſat; Conſiliariorum facta nulla venia mitigat. Ipſi certè, quæ ſuperbia Caluiniſtica eſt, imprudentiæ conuitium rebus integris nunquam tuliſſent, ſed néque iam fatebuntur, etiamſi erratum eſſe non ignorent, ſe ſtultitiæ litaſſe: Fatis euenta potiùs tribuunt, néque ſapientiam ſibi defuiſſe autumant, ſed fortunam, cui plurimum in humana Dominij. Ego vero Deum Superbiæ arbitrum exiſtimo, imo etiam vindicem, qui ſupercilia iſta Caluiniſtica, vt nimis alta, deſpicit,

pæ-

Digitized by Google

pænîſque per ſequitur tumentes ſpiritus. Prima itáque ſapientia fuiſſet ſuis contentum viuere, aliena ſpernere: Altera, poſt fortunæ ictum errorem agnoſcere, & ad ſanam mentem redire: Neutrum norûnt Caluiniſtæ, præſertim Camerarius meus, qui in hac rerum turba quouis Eremita ſolis locis cum ſolo Deo agente, ſanctior eſt; ſed vti neminē omnes fallunt, ita nemo fallit omnes, etiamſi adhuc loquentior eſſet Camerarius, qui conſiderationes ſuas minimè conſideratè ſcripſit, & tam parum ſapuit edendo has Chartas, quàm parum rationis habuit, cum Principi ſuo regni alieni inuadendi conſilium dedit.

Sed dicet quiſpiam quàm confidenter hic Camerarium Auctorem Conſiderationum prodit? quaſi vero nemo alius noſſet Chartas luto Caluiniano aſpergere præter Camerarium? nôrunt id plures non abnuo Caluiniſtæ ſed tam ſcitè non norunt, néque cum tanto mali ſenſu; ita enim conſiderationes ſcriptæ ſunt, vt aduertas non vngues tantum morſu minutos, ſed & oculos lacrimis.

Deinde parui referre puto, errem aut acu tangam; ſi Camerarius non ſcripſit conſiderationes, ſimillimus illi ſcripſit, ita vt error meus inter ſimillimos, aut nullus ſit, aut exiguus.

Demum ſuſpicionem meam nullo iure arguere Camerarius poterit; nam nemo in minoribus dicendus

eſt

Digitized by Google

eſt iniuriam pati, qui in ſimili genere maiora commiſit. Itaque dum conſiderationes has Caluiniſticas conſideratione & calamo percurro, cum Camerario tanquam Auctore agam, quod ſi fallor, veniam dabit Camerarius, falſus eſt & ipſe in via; dum enim in Bohemiam ſe glorioſum proficiſci putat, in exilium venit.

CAMERARIVS.

Viua demonſtratio cauſarum præſentis in Germania belli Religionis ergo ſuſcepti.

FABIVS.

Titulus, mi Camerari, vt omnia quadrent, Conſiderationibus tuis ſimilis eſt; ille enim belli cauſas demonſtrat, quæ non ſunt; & Conſiderationes tuæ, quia ad rem non ſunt, vtpote aliquantum ſeræ, nec veræ, nullæ ſunt. Quid quæſo tuâ viuâ demonſtratione patefacies? mortua illa eſt, non viua; ſenſu, vt philoſophicè loquar, motúque caret: & fictio & dictio tua torpet; quanquam viuam ex parte non negarim, ſaltem alienâ anima, nam calor praui affectus tui per omnes verſus ſe inſinuat, & viuit omnino demonſtratio tua vindictæ ſpiritu; cornu ferit illa, caueto. *Viua demonſtratio belli in Germania Religionis ergo ſuſcepti.* Belliſſime,

Digitized by Google

mi Camerari, aptius nunquam locutus eſt, qui apud Delphos tripodi præſidet: Religionis bellum appellat Camerarius, quod Caluiniſtæ Catholicis mouerunt: Quis enim alius Auctor belli in Germania quàm Caluiniſticus ſeu faſtus ſeu furor?

Anno huius ſæculi 7.8. cum Ratiſponæ Cæſar comitia indixiſſet, & ſubſidia aduerſus Turcas poſtulaſſet, non magis fauentes Caluiniſtas quam ipſos Turcas inuenit; nec deerant vel iam tum principia belli, facultas nondũ aderat, vel cauſa perlita fuco. Biennio exinde Equus Troianus parturijt, & anno decimo demum fæcunda in Alſatiam viſcera effudit magno cum terræ illius detrimento, vicinarum periculo, quod haud dubie etiam in pernitiem ceſſiſſet, niſi & Catholici vim vi defenſuri pariter militem ſcripſiſſent. Quid anno 19. Norimbergæ in Caluiniſtarum concilio actum, niſi de bello in Catholicos ſumendo? Miſſi ab eo conuentu ad Bauarum Electorem Monachium hoſtes potiùs, quam legati, adeo infeſti eorum vultus, trucia verba, minæ feroces, vt gerere iam bellum, iam indicere viderentur. Indixerint iam tum bellum dicet quiſpiam? Indixere certè, non illo quidem ſollenni ritu, quo Reges aliíque Principes conſueuêre, ſed poſtulatis adeo iniquis, & tam aperta denuntiatione niſi præſcripta temporis meta fieret, quod petebant, vti nemini dubium eſſet Annibalem ad portas

eſſe.

Digitized by Google

eſſe. Ergo & à Catholicis coactæ copiæ; quę innocentiæ præſidio eſſent; has certè ita dein ad Vlmam tremuere, vt pacem inierint, qui bellum cogitabant.

Nihil iam de Bohemis dicam, licet in aperto ſit ab Germanicâ Caluinianorum flamma incendium in Bohemia coortum: Quis tam hoſpes eſt in Cancellaria Anhaltina, qui plus lucis deſideret? ſunt in illa clancularię machinationes veſtræ detectæ; ſunt nudatæ; ſunt Europę propoſitæ; ſunt explicatæ, & quidem non dico cum pudore, quem amiſiſtis, ſed cum ingenti dedecore veſtro, quod nullum vnquam tempus deterget.

Miſsa igitur Bohemia Mars primas pacis portas Heidelbergę impulit, cum ſocijs in fœdus lectis, Catholicis Principibus interitum minatus, cum terras ac prouincias belli præmia diuiſit, cum in Bohemiam fatalia ſigna intulit, erepturus Cęſari Imperium, Cęſarem Imperio.

Quid ſimile aut cogitatione aut facto perpetrauere Catholici? Cuius Hæretici prouinciam prædę deſtinarunt? quem ibant euerſum? Quòd cöiuerint quoq;, quòd ſocia conſilia contulerint, quòd certis legibus mutua auxilia promiſerint, fœdúſque percuſſerint, tutelę ac ſecuritatis cauſa fecêre; proſpiciebant animis conglobari ſenſim, ad Rheni fluenta atras nubes, daturas tempeſtatem ac vaſtitatem terris Catholicis. Igitur ne nu-

Digitized by Google

dos atq; intectos eos procella adoriretur, iuſta arma parārūnt, non vſurpanda niſi in armatos. Nec fefellit prouidos ac perſpicaces Principes ſuſpicio; agebatur apud vos quòd putabatur; nec habebamini meliores, quàm eratis: aſtutia veſtra ſatis aſtuta non erat; deprehenſa eſt à ſimplicitate noſtra. Quia igitur bellum hoc ſuſceptum eſt Religionis ergo, vt tute ſcribis, & vos ſuſcepiſtis, meliore iure id nos propulſauimus, & fatemini hoc ipſo vos, pacem ac fœdus Religionis publicum à vobis ruptum, à nobis vindicatum, Deo arbitrante, qui ad Pragam ex æquitate cauſæ ius ſecundum nos dedit formidabili ſententia, & poſteris metuenda.

CONSIDERATIO I^{ma}.

CAMERARIVS.

S*Copum vnicum excitati in Germaniâ infelicis ciuilis belli, & promulgatæ inimicæ proſcriptionis in Fridericum Electorem Palatinum, hunc fuiſſe*; Cùm vt Romanenſis Pontificia Religio vbíque locorum introducatur in Imperio; tùm vt extirpentur cuncti in vniuerſum Euangelici; *Euidentiſſimâ demonſtratione euincitur. Hæretici enim illis omnes, quicúnque ſedem Romanam, & primatum Papæ non agnoſcunt, ſiue illi Lutheri, ſiue Caluini odioſis nominibus, traducuntur ab aduerſarijs.*

Digitized by Google

FABIVS.

Scopum huius ſuſcitati in Germaniâ belli propagationem Religionis Catholicę & extirpationem Euangelicorum fuiſſe vti tu contendis, nemo hominum perſuadebit, tametſi ſuadâ Caluiniana perorantis labijs inſeſſitet: imo riſui omnibus es Camerari, quòd mutire de hoc audeas. Quî fieri poteſt, vt finis belli à Caluiniſtis initi ſcopus ac finis ſit iuguli Caluiniſtici inciſio, & vita, vt ſic dicam Catholiciſmi? Vobiſnè, cùm Bellonæ litaſtis, & primi in campum Militem eduxiſtis, animus fuit veſtra vineta cædere, & noſtra colere? Neutiquam dices; Hæc mens Catholicis fuit, quia illi primi incepêre bellum: tu verò, mi Camerari, non primus incipis Caluiniſticè philoſophari, quia etiam id alij ante te fecere; & tamen ſi alij non feciſſent, tu certè hîc primus faceres. Vos principes turbarum eſtis in Germania, vos primi authores ſeditionis eſtis in Bohemia; apud vos prima tympana crepuerunt, bombardę intonuêre, omnîſque belli terror ſtrepuit; Atque huius rei orbis omnis teſtis eſt, omnium oculi vidêre; memoriâ retinemus, nondum quinquennium lapſum eſt; recordamur tantilli ſpacij, recordamur; imò recordamur longiùs, quia diutiùs moliti eſtis, quæ recordaremur.

Neque porro nobis ſuſceptum bellum eſt vt Euangeli-

Digitized by Google

gelicos extirparemus, ſed ne nos Catholici extirparemur à Caluiniſtis, quibus inditum maligna religionis ſuæ indole bella ex bellis ſerere, veterem Religionem ferro euertere, ſacra omnia exſcindere, in bonorum fortunas graſſari, pios inauditis ſupplicijs mactare, & ſine Religione vaniſſimam Religionem latrocinando propagare: exempla non adfero, cognita ſunt Camerario, ſed non agnita. Scire porro liberet quos Camerarius hoc loco Euangelicos nominet? an Caluinianos? ægrè ferent id Auguſtanæ confeſſioni addicti, qui & ipſi hoc titulo inſignes, quos ſinamus de dignitate ſuâ digladiari; quæramus quid cauſæ ſit cur potiſſimùm Caluiniſtæ Euangelici appellentur? an quia Euangelio obediunt? Deuotiſſima ſcilicet Euangelio turba! non monitis, non conſilijs Euangelij paret; nec Spiritus gerit ex eodem hauſtos, ſed in Eumenidum Scholis erudita, implet Europam furore. At at hebetiorem me ſentio, iam memoriæ ſubit iure Caluiniſtas hoc nomine gloriari, meritiſſimóque Euangelicos appellari; ſi enim Scipio alter dictus eſt Africanus qui res Afrorum euertit, ſi dictus eſt alter Numantinus, qui Numantiam excîdit, quare Caluiniſtæ pari iure non nuncuparentur Euangelici, cum Euangelium omne euerterint, & ex Sacroſancto Bibliorum codice ſacrilegâ manu permultos libros exciderint? Euangelici imò Caluiniſtæ ſunt à forti opere & à clade funeſtâ Euangelio

illa-

Digitized by Google

illatâ; ita certè rem geſsêre, vt in locis à Caluini ſatellitibus occupatis, vix amplius Euangelium noſcatur, & ſint ipſi ſimiliores in Religione Turcis, quàm veteri Chriſtianorum Eccleſiæ, quos nullâ re referunt, niſi verbis.

Præferuida autem Catholicorum cupiditas non ſolum bello Germaniam inuaſit, ſed etiam cauſa fuit, vti proſcriberetur Fridericus Palatinus: Scilicet Camerari Catholici omnem culpam ferant: Fridericus proſcriptus eſt, non quia Catholici voluêre, ſed quia ipſe voluit mereri, vt proſcriberetur. Cæſaris regna & Prouincias inuaſit, hoſtem ſe hoſtibus Domini ſui iunxit. Pulſatus & pulſus ſupercilium adduxit, ſpiritus auxit, nouas opes, noua auxilia conquiſiuit, rediturus non emendatus, non ſupplex, ſed aduerſa fortuna ferocior, nec gratiam, ſed bellum reparaturus. Hæc cauſa proſcriptionis, quam tu non malè inimicam nominas, quia in inimicum promulgata eſt.

Quare Theologi eos Hæreticos indigitent, qui ſeceſsêre à Romanâ Eccleſiâ apud Theologos interroga; ego eorum adyta non ingredior, nec id mei muneris eſt, attamen vt me etiam aliquando amicum oſtendam, te tuóſque ab hoc conuitio facile vindico: nam ſi rectè à Theologis didici, hæretici illi ſunt, qui ſuo arbitrio quædam capita fidei eligunt, quæ credant; pleriq; Caluiniſtæ nulla eligunt, ſed omnia abijciunt, quomodo ergo hæretici

retici appellari iure poſſunt? Relinquamus hæc alijs, nos cum Confeſſionis Auguſtanæ conſortibus pacto & fœdere degimus; eſt ſua vtríque parti Religio, vtrínque permittimus, vtrínque permittimur. Soli Caluiniſtæ alienæ paci inſtrepunt, nituntúrque eſſe ſoli, cùm deberent eſſe nulli.

CAMERARIVS.

Scopus ille, etſi multis aliis documentis probari poßit, tamen nunc luce meridiana clariùs omniũ oculis patet ex actis publicis, & inprimis aliquot Epiſtolis, quæ nunc in manus hominum peruenerunt, & quarum ἀυτόγραφα, quà ſummis, quà inferioris Ordinis hominibus, viſa recognitáq; fuerunt, & in fideli cuſtodia aſſeruantur; ſic vt fides rei nullâ ratione in dubium vocari poßit. Teſtis etiam eſt vnicuíque ſua conſcientia: Et Deus, qui καρδιογνώστης eſt, & opera hominum inſpicit, non irridetur, nec falli poteſt.

FABIVS.

Quod finis Catholici belli fuerit euerſio Euangelicorum, & proſcriptio Palatini, inexpugnabili probat argumento Camerarius; acta publica in medium, Epiſtolas ſummorum Principum adducit, quæ ſi momentum

Digitized by Google

tum non habent ad demonſtrandam Euangelicis Catholicorum malam mentem, Poliphemo cæciores ſunt, huic enim vnus oculus, Euangelicis nullus. Agedum aperiamus Euangelicis oculos, & inſpiciamus acta & epiſtolas; ſed principio, quam oculos fatigemus, libens pernoſcerem vnde Caluiniſtis copia facta harum litterarum, & quo iure vulgârint? Nos duobus abhinc annis cum iuſto bello caperetur Praga, cæpimus vnâ Caluiniſtarum Apocalypſin, auctoribus ipſis pudendam, conſilia, inquam, eorum, technas, fraudes, machinationes contra Catholicum orbem, & quia in publicum dedimus, vti perniticioſæ Reipublicæ molitiones omnibus paterent, in id incubuerunt Caluiniſtæ, vt & Epiſtolas noſtrorum Principum, aut comprehenſis per vim veredarijs, aut corruptis eorum præfectis interciperent. Quâ quæſo licentiâ Camerari? iure belli dices, quia Epiſtolæ hoſtium erant. Accipio tuâ causâ hanc cauſam, ſed effare & tu viciſſim, an Cæſarem etiam inter hoſtes cenſueritis? an iure quoque belli eius Epiſtolas incideritis? Si ius belli hîc valet, & Cæſar hoſtis eſt, perduelles eſtis, qui in Cæſarem arma fertis: Si Cæſar hoſtis non eſt, rei læſæ Maieſtatis eſtis, qui ſacroſancta eius litterarum ſigna conuellitis. Improuida calliditas! An non vobis vnicum ſcutum innocentiæ adhuc fuit, vos nequaquam Cæſarem bello laceſſere, ſed de Domo duntaxat Auſtriaca Archiducem? vt alios taceam, Palatinus ipſe ius Cæſareum in Bohemiæ regnũ,

priuatam prætenſionem Domus Auſtriacę indigitat in Epiſtolâ ad Imperij ſtatus datâ Hagæ Comitis 2. Nouemb. Anno 1621. pag. 138.

Excidit veritas vel inuitis, & confitemini ipſo facto vos Cæſaris hoſtes.

Sed obſeruemus qua ratione malis artibus captæ litteræ cauſam ſubminiſtrarint bello, ne vanus videatur Camerarius, qui veritati tanquam vnicæ verborum ſuorum Deæ quotidie thura adolet religioſus Reipublicæ ſacerdos. Bellum hoc noſtrum ciuile decimo ſeptimo huius ſęculi cæptum apud Bohemos, vigeſimo in Palatinum agrum ab Spinola illatum, à Bauariæ Duce poſt pacem Vlmenſem, in Auſtriam Bohemiámque, vbi nobili prælio Bohemorum res acciſæ, & Palatinus regno, quod inuaſerat, pulſus. Hæc adeo in apertâ luce ſunt, vt infitiari ea, ne impudens quidem poſſit. Affer iam litteras noſtras Camerari, & monſtra quo anno, quo conſule, quo die ſint datæ? omnes poſteriores dimidio bello ſunt; nihil in illis de inferendo bello quod pridem vos iam inchoaueratis, nihil de inſidioſis in Euangelicos conſilijs; omnia de futuro, de hoſtibus comprimendis, de pæna rebellium, de quiete ſtabilienda, de ſecuritate reipublicę reſtituenda; auſi vos fuiſtis tecta conſilia conferre in capita & fortunas noſtras, cętus facere, militem parare, Regem Bohemiæ pellere, alijs principibus exitium meditari, vobis principatus alienos deſtinare, nobis bellum No-

rinber-

Digitized by Google

rinbergâ denuntiare, & nobis nefas ſit vos graſſatores compeſcere, conſilia per litteras dare, aut exquirere, vt in tuto deinceps ſimus, & agamus? Deijciendum Palatinum ſcribimus, quia quod ille meruit ſcribimus; vos in nos non ſcripſiſtis ſolum, ſed etiam, re ipsâ, moliti eſtis etiam innocentibus pernitiem, & piaculo nobis ſit mulctę ſontium meminiſſe? Nos turbulentum Principem cum tanto reipublicæ periculo nunquam priſtinis dignitatibus reſtituendum ſcribimus; vos pleroſque Catholicos principes, pacificos, omnia alia, quàm hoſtilia cogitantes, relegandos, & ſcripſiſtis & vt exterminarentur laboraſtis. Vtri meliores? ſine dubio Caluiniſtæ, excellunt enim, & vincunt cùm facinoribus certatur. Aſſerues igitur fideli, quando ita vis, cuſtodiâ noſtrorum Principum litteras, nullum dedecus noſtrum cuſtodies; de iuſta vindicta criminum agunt; de malo iam nobis illato, propulſando; nullę de inferendo, niſi in promeritos, inter quos tu princeps. Sed pergamus.

CAMERARIVS.

Ad ſcopum autem illum nullam magis expeditam viam eſſe iudicarunt, tam in aulâ Romanâ, quam Cæſareâ; quam ſi Electoratus Palatinus transferatur in Bauarum. Hoc Cæſaris ad Balthaſarum Zunigam Epiſtola luculenter oſtendit, cum aſſerit; Translationem illam toti inprimis Im-

perio fore vtilem, atq; idcirco maximè eſſe neceſſariam, minimeque differendam. Toti Imperio: *quia auulſo Electoratu Palatino à communi Euangelicorum corpore, vt præcipuo illius membro, & translato in Ducem Bauariæ,* Catholicæ Religionis acerrimum Defenſorem (*quæ laus illi in dictâ Epiſtolâ tribuitur*) *is ſtatim, vt in vniuerſo Ducatu ſuo olim, & nuper Donawerdæ (quæ Imperialis Ciuitas eſt) fecit, Papatum introducet. Atq; adeo illius zeli ſingulare documentum dedit: quòd iam multis in locis Palatinatus, Miſſæ Idololatria conſpicitur: quòd Ieſuitis primarium quoddam templum Ambergæ conceßit. Sic cùm in ſuperiore Palatinatu, Bohemiæ vicino, tum in inferiori ad Rhenum, Papatu radices agente, facillimè ille etiam, in alias adiacentes Euangelicorum ſtatuum regiones diffundetur.*

FABIVS.

Scopus noſtræ militiæ fuit, vti iam ſupra dixi, pax & ſecuritas noſtra fragili titubans loco, imo iam prolapſa, rurſus firmanda, & nequaquam euerſio Proteſtantium, neque vt Electoratus transferretur in Bauariæ Ducem, ſed ne Palatinus pro libidine, aliorum iniuria, aliorum periculo, regnaret. Et quid tu criminis eſſe cenſes

poſt tam atrocia Palatini facta, ſeu Romæ, ſeu in Germania, conſilijs agitari translationem electoratus in Bauarum? Non viſum fuit tam inquieto ingenio tantam poteſtatem nouis rebellionibus opportunam rurſus credi; & procul dubio ad communem pacem faciet, ſi Bauarus potius in curia præſideat, quàm Palatinus omnium ventorum & tempeſtatum, aut Æolus aut æmulus.

Sed Bauarus in terras occupatas Papatum introducet; Hem quale facinus, ſi quas terras Cęſaris nomine ſubigat, pro arbitrio moderari! At qui etiam ais: In ſuum olim Ducatum Papatum introduxit; Non introduxit, mi vir, Papatum, ſed inuentum & à maioribus ſuis introductum, magna gloria illuſtrauit ijs alia edoctis, qui à maioribus diuerſa ſenſerant: ſed fac induxiſſe, bene ac prudenter factum dicerem: ſi Caluiniſmum induxiſſet, iam ipſe educeretur; hoc vobis Caluiniſtis ingenium eſt, vbi vires ſuccreuerint, vti Principes Catholicos cogatis infanda vel facere, vel pati. Hoc vnicum Cæſarem è Bohemia aliiſq; prouincijs eiecit, ab hoc vno etiam ex alijs eijciendus erat, niſi victor gladius obſtitiſſet.

Sed Donawerda te mordet, vbi nullâ illatâ vi; ſi quidam Sacerdotum cura & cultura Ciues ad Eccleſiæ noſtrę gremium ſe conferant, quid laboris fructum inuides? tui quoque Prædicantes vbi vbi locus eſt, non omittunt Euangelij ſui ſemina ſpargere ad ſementem Gracchianæ ſobolis, quæ ſeditionem accuſet, & concitet.

Ambergę quoque, quod tibi cor exedit, ſacrum Miſſę officium celebratur: Dî tam inuiſum ſpectaculum amouete! polluetur terra victimis Catholicorum: vt omnia Caluiniſtica ſacra perſeuerent, vt omnia Religioſa & ſancta ipſis cuſtodiantur, nihil ſacrũ ſit vſpiam, nihil religioſum ſit, nihil ſanctum ſit; ſanctitas apud illos ſumma eſt, egregiè prophanum eſſe, & facere. Quid enim ſupereſt vobis, Camerari de Religione veteri? ne tres vncię quidem de omni Chriſtianiſmo. Sacramenta omnia ablegata ſunt; impij de vobis cęlum intrabunt, aut nulli. Ambergæ nullo edicto, nullo iuſſu Ciues in Religionis cauſa onerantur, Præſidiarijs per municipia diſperſis ſacra Catholico ritu adminiſtrantur, citra vllius incommodum: ſi tui Caluiniſtæ vltrò ad conciones adrepunt, illorum aut laudis, aut culpę eſt; niſi tu legem ſis poſiturus, vt nemo mortalium vllum concionatorem alium audiat, præter Caluiniſtam. Ambergenſibus ſtat ſua Religio inuiolata, declamant Prædicantes; conuolant Ciues; pro arbitratu omnia agunt. Quid tu nos accuſas? Ambergenſes te tuóſque potius Collegas deteſtantur, qui Principem olim fanatico conſilio impuliſtis, vt miniſtros Auguſtanæ confeſſioni addictos eijceret, & Caluiniſticas furias ſubſtitueret; nullum ad munus publicum aut dignitatem admitteret, niſi Geneuenſi perfidiâ inſignem. Submiſſi ſunt à Sereniſſimo Bauarię Electore Sacerdotes Catholici Catholicis Præſidiarijs; permiſſi Caluiniſtæ

Præ-

Prædicantes Caluiniſtis: quid querelis aures fatigas Camerari? an nuſquam in pręſidijs locorum, quæ vos tenetis, Prędicans Caluinianus in ſuggeſtu comparet, aut morituris ſupremo ſolamine adeſt? Nos idem in Religione noſtra, quod vos in veſtra ſoletis, præſtamus. Sed primarium vt tu dicis templum Ambergæ occupauêre Ieſuitæ, ignoſce mi Camerari; idem feciſſent Caluiniſtę in ciuitate Catholica bello capta, Ieſuitæ tamen occupauêre ita, vt Caluiniſtas non excluſerint, horis diuerſis iam Catholici, iam Caluiniſtę concurrunt, neutri impediunt, neutri impediuntur. Deinde merito templũ commodum (quanquam id primarium non ſit) occuparunt, quia Catholici antiquiores ſunt, & iure ſuo in Imperio viuunt; vobis precariò tantum locus eſt, ac niſi Lutherani pro vobis tanquam *infirmis Fratribus* in comitijs olim preces interpoſuiſſent ſupplices, iam apud Garamantas pranderetis, cum Dijs Manibus cænaturi. Quæ cum ita ſint mirari ſubit, cur in corpore Euangelicorum Palatinatum præcipuum membrum numeres? Quid intelligis per Euangelicum corpus? an confeſſionem Auguſtanam profitentes? mi homo, ne blandiare tibi, Caluiniſtæ nunquam cum illo corpore coaluêre, neque priuilegijs Auguſtanæ confeſſionis gaudent. Quomodo ergo præcipuum Palatinatus Euangelicorum membrum? odêre vos Auguſtani illi, & tu Camerari, tuiſque eos tum tantùm amicè per adulationẽ appellatis, quando

à Catho-

à Catholicis metuitis æquales vtriſq; hoſtes. Tertiò merito Catholici templum illud occuparunt, quia à Catholicis exædificatum, pro Catholicis ſtructum, & quidem impenſâ Catholicâ; cur quiritaris Catholicos inhabitare, ſuoq; vti frui? Quarto merito Catholici occuparunt, quia eo vti nôrunt; vobis Templorum neceſſarius vſus non eſt; aptius pro concione veſtra forum eſt; peruium & patens magis, pluriumq; capax, & inter olitores, culinarios, ſcrutarios tot viſuntur in foro Religionis ſigna quot in templo Caluiniſtico, in quo nudi ſolū parietes, vna vel altera menſa, prætereáque nihil. Nulla nec Dei matris, nec alicuius ſancti, nec Chriſti imago, imo nec Dei cultus quidem, exeunt, intrant haud alio ritu quàm in tabernam: pileus capiti ſemper fixus, nec ad nomen Ieſu ponitur & nec ipſi Caluiniſtæ dicere norunt, vbi pietas apud ipſos habitet. Cæna quoque ipſorum commodius in caupona diſpenſatur; licet ibi maiores bolos inijcere, largiorique hauſtu ſe inuitare; in templis, tametſi plus ſitis ſæpe ſit, aliqua tamen, quæ paruula ſupereſt, honeſtas facit, vti parciùs haurias, quam velis.

At animum tuum honoris diuini anxium mouet, quod Miſſæ idololatria, vt tu loqueris, conſpiciatur Ambergæ. Magnum malum eſt Idololatria, non diffiteor, & à quo liberi ſunt Caluiniſtæ, qui adeo ab omni diuino cultu abhorrent, vt dubitare liceat an Deum adorent, ego nullum vnquam vidi flexo poplite numen venerari, quin

potiùs

potiùs ipſi per ambitionem arrogantięq́; faſtum idola repræſentant, quam cuiuſquam cultum. Ipſum Iouem in genua fuſum paterentur, modò ipſi ſtarent. In Miſſa, Camerari, Chriſtum adoramus, quem ſpecie panis latentem credimus, quod id Chriſtus credi iuſſerit, cum dixit: Hoc eſt corpus meum. Sed in Theologiam me non intromitto, ne vnà cum Camerario nihil intelligam, ſatis eſt, quod ipſe cum ſuis in hoc genere deliret.

Metuis vero admodum ne Elector Bauarus Catholicę Religioni addictiſſimus ſollenne ſuum teneat, & vicinis Bohemię Palatinatuíque terris aliquid de Miſſa affricet: quia cum paries proximus ardet, facilè quoque amburitur vicinia: ô curas Caluiniſticas! an non in Bauaria Palatinatui ſuperiori vicina tot iam annis Miſſę lectæ? quæ inde contagio peruaſit Palatinatum, vt idem factitare vellent? Vos Caluiniſtæ meliora exempla non capitis, mala datis. Licet certè nobis eſſe probis ac pijs ſine veſtra æmulatione; cùm technis & fraudibus certatur, vincimur à Caluiniſtis.

CAMERARIVS.

Imò, ſi Euangelici hoc tam triſte exemplum in Electore Palatino (qui primus inter ipſos, & hactenus in comitijs, aliisq́; conuentibus publicis, Directoris partibus communi omnium conſenſu functus eſt) admittunt; tum nullum amplius impedi-

Digitized by Google

mentum ſupereſt, quin ſub quocunque prætextu (qui potentioribus nunquam deeſſe poteſt) mox hunc, mox alterum ex Euangelicis ſtatibus proſcripturi, atq; eius ditiones in Romano-Catholicos translaturi ſint. Hoc pacto paucorum annorum ſpatio totum ſub Papæ obedientiam & iugum reduci poteſt.

F A B I V S.

Fruſtra tubam inflas, Camerari, & claſſicum occinis; non perſuadebis triſti exemplo tuo, vt in partem rebellionis alios Principes trahas. Triſte exemplum illi admittunt, quia vos commiſiſtis, nec tragœdiam ſpectaremus, niſi vos dediſſetis. Nihil cuiquam quidquam à Catholicis metuendum; niſi illi, qui metuenda facit. Status Imperij, quos vulgus, Proteſtantes appellat id non ignorant; decurramus eos annos ex quo germana & fida olim inter ſe pectora religione diſſenſerunt. Centum & amplius anni ſunt, ex quo lites de Diuinis ortæ, quid toto hoc tempore belli ac tumultus concitarunt Catholici? quem Proteſtantium armis petiuêre? cui ab his prouincia adempta? quis terris ſuis pulſus? cui oppidum captum? cui arx euerſa? cui domus erepta Catholicis armis? Bella quidem aliquot geſſimus, quia bello appetiti fuimus; nemo contra quidquam à nobis paſſus, niſi quod fecit. Ruſtici primo Munzero Duce ac Caluiniſtico

ſtico tubicine Germaniam ſanguine nobilium, & terrarum vaſtitate defædârunt, nos furorem Zwingliani Euangelij ſolum compeſcuimus. Smachaldici deinde fœderis Principes Carolo V. bellum indixere; accepit illud Cæſar, & egregiâ victoriâ confecit. Colonienſe bellum libido ſeptemuiri Religionis Catholicę deſertoris mouit, arma armis oppoſuêre Catholici, primi non intulêre. Quod ſi tum fortuna impijs conatibus fauiſſet, ademiſsétque Catholicis in ſeptemviratu votum, bonum factum apud Caluiniſtas fuiſſet. Imò quia è re ſuâ cenſebant tantæ dignitatis ad ſuas partes acceſſionem omnibus Caluiniſticis deſiderijs appetiuêre, armíſque ſocijs, rebellionem illam aluêre; & iam ſcelus arbitrantur, Electorium munus iuſtæ pænæ loco Palatino proſcripto ereptum ad Bauarum redire, cui ad idem vetera & potiora iura ſunt. Geminum Argentoratenſe bellum Catholici non concitârunt, ſed propulsârunt. Bohemici iam noſtri, & Ciuilis in Germania belli, quis Auctor? Proceres Caluiniani vtique ab Camerario, à Pleſſenio ac ſimilibus furenti ſpiritu inflati, Martem ſibi infauſtum ex Orco euocârunt. Quis à nobis vel digito tactus, qui nos non tetigit? Itaque Camerari non eſt quod timore Proteſtantes impleas, bona & amica omnia ab ipſis ſperam⁹, recepturi à nobis eadem, neque quiſquam Principum vnquam proſcribetur, niſi qui futurus ſit tuo ſimilis: nullius ditio transferenda erit in alienum, qui ſua con-

 tentus

tentus viuet. Rebelles proſcribuntur, alienorum regnorum vſurpatores ſuis terris mulctantur; quietis ac fidelibus nullum periculum ingruit; pacta ac fœdera Religionis nobis ſtant inuiolata, tametſi vos Caluiniſtæ multa verba contrà iaciatis; omittite verba, facta oſtendite; pacem nunquam turbauimus, aliquoties vindicauimus laceſſiti. Quare metu te libera, mi Camerari, Religio Proteſtantibus in tuto erit, ſi nos ab ijs fuerimus.

CAMERARIVS.

Et hoc fine ſenſuq; aſſeritur; Negotium illud translationis, quod vocant & tractant, vniuerſæ Germaniç ab Hæreticorum machinis vindicandæ profuturum eſſe: Vtendum igitur diuinitùs conceſsâ victoriâ ad extirpandas ſeditioſas Hæreticorum factiones. *Nec eſt quod quis putet, ſolos hîc Caluinianos peti. Dicitur quidem*, ab his factiones illas potiſſimùm foueri. *Sed non minùs Lutheranos pro Hæreticis habent, & odio proſequuntur. Quod ſanè non diſsimulant; cum Epiſtola ad Zunigam non obſcurè innuat*, Saxoniæ Electorem fortè non æquo animo laturum translationẽ Palatinatus in Bauarum, quòd ex eo rem Catholicam nimiùm augeſcere vereri poſſit.

FABIVS.

Non defugio quemcunque arbitrum, qui ingenia Caluiniſtarum Catholicorúmque perſpecta habeat.

Quis-

Quiſquis ille eſt, ſentiet certè translationem Electoratus in Bauariæ Ducem vniuerſæ Germaniæ profuturam eſſe, quia flabro Caluiniſtico ac turbine tot tempeſtatum ſublato, pax fida & conſtans Germaniæ non de nihilo ſperanda eſt, vt in aperta luce ſit patens & pacatum Catholicorum pectus; quod infidum fuiſſe quieti, nulla exempla docebunt, nec Caluiniſtæ quantumuis diligentes in alienis vitijs veſtigandis vllum proferent! ô quam vellent nos ſimiles ſibi fuiſſe! iam aceruum exemplorum affunderent, & gauderent nos peiores, vt ipſi paulò meliores comparerent. Si Catholici victoriâ vtuntur, & Furias Caluiniſticas ad pacem imperio obtinendam exterminent, non tam iniquo animo Caluiniſtis accipiendum eſt; Victi paria tuliſſemus, & quidem cum magno fænore. Sentiant & ipſi quas inuexere calamitates, exemplóque ſuo pacem turbatam ſanciant. Tauri fabricator aheni Perillus in tormentis, quæ alijs parauerat, primus immanè mugijt. Quod eodem animo in vos & Auguſtanæ confeſſioni addictos ſimus, non oſtendes; vos rebelles iudicamus quales eſtis; illos non iudicamus, quia in Imperio rebelles non ſunt; & licet hæreticos omnes eos Theologi appellent, qui à Catholica veritate deſciuêre, pax tamen in Germania ac conuenta cum Auguſtanæ confeſſionis cultoribus potiora ſunt, quam vt malum velimus ciuibus politiâ innoxijs ac quietis. Certè quamdiu illi pacem amabunt, habebunt. Saxoniæ Elector

ctor non neſcit à Friderico Palatino in Imperij leges grauiter commiſſum, atq; ideo etiam arma pro Cæſare ſumpſit; nec iam iniquo animo feret id alteri deferri, quod alteri in pœnam ablatum eſt; hanc autem pœnam fatebitur iuſtam, cum agnouerit culpam, alioquin Cæſari armatâ manu non ſuccurriſſet. Reſtituantur Catholici tranquillitati, & creſcant pacis amantes quid electori Saxoni periculi imminet? Quò maior bonorum copia, minùs mali pertimeſcendum eſt; quiſque ea pace fruetur, quam fecerit. Nemo adhuc, præter vos Caluiniſtas, iniurias à Catholicis illatas queſtus eſt; nullas illi intulêre, tulêre plurimas; religione noſtrâ creſcente, quando ita vis, non propterea cupido increſcet, vt aliena velimus; ſatis nobis noſtra ſunt; fruantur alij ſuis, ſed & ſinant nos frui noſtris. *Fas eſt quemq; ſuo, vel paupere, viuere cenſu.*

CAMERARIVS.

Verum vt principia huius vniuerſalis ſcopi rectè percipiantur, illa omnia à Ieſuitarum imprimis doctrinâ & inſtitutione proficiſcuntur. Ne autem magna volumina, in eam rem à Romanenſibus edita, alicui euoluere, aut prolixè ex illis præcipua huc tranſcribere neceſſe ſit; idcirco ex vnico libro Gaſparis Scioppij, Imperialis & Hiſpanici conſiliarij, pauca excerpta ſubiunximus. Is enim veluti in Com-

Digitized by Google

pendium, totam illam doctrinam in Claſsico belli ſacri, Ticini (Superiorum iuſſu) edito, & quem librum ipſe gloriatur maximis Principibus, quibus legendum dederit, mirificè probatum fuiſſe, concluſit: quo Lutheranos *potiſsimum vult perditos. Præcipuum illius fundamentum, prorſus re & verbis idẽ, quod etiam dicta Epiſtola ad Zunigam ad euertendum Palatinum Electorem exprimit, verbis ex Diuino Oraculo adductis:* Quia dimiſiſti virum dignũ morte, erit anima tua pro anima illius. *Sic autem Ieſuitæ illorúmque aſſeclæ, S. Scripturâ abuti ſolent: vt quæ in veteri teſtamento, de Ethnicorum exciſione Deus diſertè mandauerat, illi ad Hæreticorũ, hoc eſt, Orthodoxorum & Euangelicorum omnium exſtirpationem prauâ & impiâ collectione detorqueant; cùm tamen in nouo Teſtamento longè diuerſa ſit ratio. Aliud enim exemplum nobis Chriſtus ipſe, aliud Apoſtoli dederunt, aliud Patres in primitiua Eccleſiâ, qui* vllius ſe miſcere morti *nefas eſſe duxerunt, vt eſt apud Gregorium Magnum. Nam illis prorſus incognita & inaudita Baroniana Hæreticos mactandi inſtitutio. Sed non huic disquiſitioni hîc locus. Satis eſt, quòd hæc ipſiſsima Prophetæ verba, quæ Epiſtola ad Zunigam adducit, hoc ſenſu &*

fine

ſine à Schioppio mutuata eſſe videntur. Sanè vt quis conijcere poßit, Schioppij Apoſtatæ operam, ſi nunc in aulâ Cæſareâ præſens eſſet, in illius Epiſtolæ exaratione fuiſſe adhibitam.

F A B I V S.

Ieſuitæ, vt video, ſolem obnubilarunt; propagatio Religionis Catholicæ per bella & proſcriptiones Principum ex illorum libris docentur. Mali Apoſtoli ſunt Ieſuitæ, non diffiteor ſi ſic docent. Verbo Dei, vitæ ſanctimonia docere debebant, ita enim fecêre primæ Eccleſiæ Doctores. Sed tu ſodes Camerari, prome librum Ieſuiticum, nam & ego legere noui; in quo codice hæc funeſta doctrina? Gaſparis Schioppij Claſſicũ nominas, ſed is, mi vir, Ieſuita non eſt, nec me Defenſore dictorum ſuorum eget; lingua ei expeditior, verba promptiora ſunt Schioppio; ſi reſponſum poſtulas, ipſum laceſſe. Verba illa Prophetæ: *Quia dimiſiſti virum dignum morte, erit anima tua pro anima illius*, pertinere docet Schioppius ad quoſcunq; Magiſtratus; qui homines Reipublicæ noxios ad Iuſtitiæ normam non puniunt, ſeu morte, ſeu alia æqua meritis pæna; vos autem Caluiniſtas Reipublicæ noxios fuiſſe, nec ipſa impudentia negabit. Inſontes eſte; & habebimini. Quia autem exiſtimas hæc verba tantum accipienda de Ethnicorum exciſione, non ideo excludes te, tuóſq; tribules, propius enim eſtis Eth-

nicis,

Digitized by Google

nicis, quàm Chriſtianis, cum præter nomen vobis aut parum, aut nihil ſuperſit; vel ſi quid ſupereſt, oſtendite; magnâ voluptate aſpiceremus vos Religioſiores.

Miror te Gregorium Magnum lectitaſſe, & perdurare in obſtinatione Caluiniſtica? quam parum ille ad rem veſtram! quantus quantus eſt, Papiſta eſt, imò vero Papa, quem vos Antichriſti nomine temeratis. Quid eſt apud Gregorium? Nefas viſum primitiuæ Eccleſiæ vllius ſe miſcere morti; rectè ac ſapienter viſum, nam primi Chriſtiani nec Iudices erant, nec rerum publicarum munera ſuſtinebant, & vel hodie Eccleſiaſtici, cædibus ac ſupplicijs irrogandis abſtinent; alij ſunt, qui ferro noxia membra abſcindunt, mitiora Eccleſiaſticos decent. Quod ſi arbitraris vniuerſim Chriſtianis pænam mortis vetitam, næ tu in magno errore verſaris, & feciſti ſæpius, quod culpas. Quando legum auctoritate ſontes plectuntur, nihil criminis admittitur, virtutis actus exercetur. Et tu innocentiſſime Mortalium, quot millia Catholicorum trucidauêre tui tribules abſq; cauſa, abſq; poteſtate, abſq; legitima Iudicij forma! Si nefas eſt Chriſtiano miſcere ſe morti, vos Chriſtiani non eſtis, & omnium mortalium nefandiſſimi, qui toties nefas hoc patraſtis. De Hæreticorum pænis diſputare hîc non libet. Cum Lutheranis in Imperio certâ fidâque pace viuimus, nec metuimur, nec metuimus, idq; ex ſacroſancto pacto, quo vos non tenemini, nunquam admiſſi; beneficio tan-

tum aliorum, pro vobis gratiam exorantium, precariò habitatis; Date operam, vt vos ita geratis, ne patientiam exacerbetis: eijci inquietus poteſt, cui hoſpitium non debetur. *Exeat ad Geticas qui Martem parturit oras.*

CAMERARIVS.

Satis eſt, quòd adeo euidenter nunc patefactum eſt; hoc potiſſimùm tempore initium infelicis in Germaniâ, ob translationem Palatinatus ſuſcitati, belli factum; vt cuncti ex Imperio exſcindantur Hæretici, vt, viri digni morte; *& vt vbiq́ locorum exaltetur & ſtabiliatur Romanenſis ſuperſtitio. Quoties enim in Epiſtolis ad Zunigam, & alijs*, S. Fidei, & Romano-Catholicæ Religionis, *eo ſenſu ac ſcopo mentio?* Iuſſus diuinus, æterna Dei prouidentia, & nominis eius honor & gloria obtenditur. *Offenſio Numinis metuitur, ſi negligatur opportunitas* ad Religionem Catholicam propagandam *conceſſa, & niſi fidei* eam ob cauſam *Bauaro data ſatisfiat.* Impulſum à Deo ſe fuiſſe, *Imperator ait*, vt Bauaro, acerrimo Religionis Catholicæ vindici, ex inſigni zelo Palatinatum IAM OLIM vltrò promiſerit: *Idcircò tam præclarâ victoriâ potitum*, vt eâ in illum finem rectè vtatur:

Nec

Digitized by Google

Nec reſpiciendum hîc ad vllas rationes humanas, ſed tantùm in Deo confidendum, & opus alacriter audacterq; aggrediendũ eſſe. *Digito veluti monſtratur illa memorabilis perſecutio in Stiria & finitimis prouincijs. Wilhelmus Senior Bauariæ Dux*, Gehennæ cruciatus Electoribus Eccleſiaſticis minatur, quod ad Saxoniæ Electorẽ plus æquo in tranſlationis illo negotio reſpiciãt. *Pontificis etiam grauiſsimæ adhortationes hîc accedunt: cuius quàm magna apud illos auctoritas! Prætereo hîc cætera, quæ in Cardinalis Lodouiſij, & Nuncij Viennenſis, eam in rem congeſta Epiſtolis. Legatus verò Hiſpanicus ſine circuitione, in ſuâ ad ipſum Pontificem propoſitione, aſſeruit*; Hoc bellũ geri aduerſus Hæreticos, S. Matris Eccleſiæ hoſtes, ſedis Romanæ inobedientes; vnde eius continuationem, vt neceſſariam, Pontifex vrgeat, Cæſarem ad illam inclinet. *In hunc etiã finem inſtituta nuper* Noua *in quibuſdam Imperij locis* Sodalitas, *ſub* Chriſtianæ defenſionis *nomine.*

FABIVS.

Nihil eius, quod tu vis Camerari, patefactum eſt; ſupra dixi initium belli ſuſcitati non fuiſſe Palatini proſcriptionem; bellum erat, & quidem à vobis ortum, antequam proſcriberetur; neq; nos cogitauimus vnquam exſcindere Auguſtanæ confeſſionis profeſſores, ſed vin-

Digitized by Google

dicare noſtra, Caluiniſtas vim inferentes & omnia ſuſq; deq; vertentes in ordinem ab Imperio præſcriptum redigere. Nemo ex alijs dignus eſt morte, qui nihil hoſtile molitur; vos digni eſtis, quia alijs mortem intuliſtis; & tu nunquam piabis ſcelus tuum, quo tam multi mortaliũ per iniuriam interiêre; occidiſti & tu cum belli conſilia ſubminiſtraſti. In quibus vero Principum aut aliorum epiſtolis, quas fraus veſtra intercepit, legiſti bellum ideo ſuſcitatum, vt *vbiq; locorum exaltetur & ſtabiliatur Romanenſis ſuperſtitio?* ita tu vocas Religionem Catholicam, quæ proauum tuum Chriſtianum fecit, nam auum Prædicantem fuiſſe puto. In quibus, inquam, legiſti? Vt ſarta & tecta eſſet religio noſtra pugnauimus, neq; vllo modo nocuiſſemus vobis niſi nocere paratis. Defendimus, non inferimus bellũ: nec digni morte nobis ſunt Confeſſioniſtæ, nec illis nos ſumus; iam dixi, nos conueniſſe, ac perſeuerare in fide data & accepta. Fallis autem cum ſcribis in Epiſtola Cæſarem ſcribere offenſionem Numinis metuendam, ſi negligatur opportunitas ad Religionem Catholicam propagandam conceſſa, & niſi fidei eam ob cauſſam Bauaro datæ ſatisfiat; percurri iterum iterumq; Epiſtolam, vanitatem tuam reperi. Cæſar ait, ſibi victoriam oblatam ad Dei gloriam & honorem proferendum, & extirpandas ſeditioſas factiones, quæ à Caluiniſtica potiſſimum hæreſi mouentur; cætera tua ſunt, & ad commouendos Lutheranos excogitata, quaſi Cæſa-

Digitized by Google

ti idem animus foret in eos, qui fideles fuêre, atq; in vos perduelles. Armorum noſtrorum finis non erat propagatio religionis, ſed conſeruatio, quia vos ibatis perditum nos & noſtra.

Auges porro & alia verba Cæſaris, nuſquam enim ſcribit ex inſigni Zelo, ſe Bauaro promiſiſſe Electoratum; tu inſignem Zelum addis, quaſi ad propagationem religionis ſermo pertineret; ſicut pariter tibi conficta ſunt hæc verba, tam præclarâ Cæſarem victoriâ potitum, *vt ea in illum finem* (ad propagandam vbique Catholicam Religionem) *rectè vtatur*, conficta hæc ſunt inquam, & Caluiniſtici oculi legunt, quæ ſcripta non ſunt. Inſequentia autem variaſti, & accommodaſti ad tuum forum: Cæſar ait, *ſe expertæ diuinæ Prouidentiæ, quàm humanæ prudentiæ maiorem rationem ducere*; & tu dicere audes Cæſarem ſcribere, *Non reſpiciendum hîc ad vllas rationes humanas*, quaſi (ſi dicam potius credendum eſſe Pleſſingio, quàm Camerario) idem eſſet, ac ſi dicerem, nihil eſſe credendum Camerario, ſed tantùm Pleſſingio. Ita Caluiniſtæ verba ipſa mutant, & ad alienum ſenſum contorquent. Sed needum finis, deprauas & verba Epiſtolæ Sereniſſimi Principis Guilielmi, quæ in hunc modum refers: *Gehennæ cruciatus Electoribus Eccleſiaſticis minatur, quod ad Saxoniæ Electorem plus æquo in trans-*

lationis illo negotio reſpiciant. Verba è Germanico ſermone hæc ſunt, *metuo ne ipſis aut hîc aut in altera vita luendum ſit.* Vbi minæ Gehennæ, aut imprecatio tam ſæua Camerari? Conſuetus apud Catholicos loquendi modus eſt, cum quis aut perperam agit, aut bene agere prætermittit, ſolemus dicere, *in hac aut altera vita lues*, quo genere loquendi minimè gehennam intelligimus; nimis dira hæc eſſent vota; purgatricē flammam duntaxat notamus, quæ nunquam lambet Caluiniſtas, maiori incendio piandos. Demum etiam verba ex Epiſtola Hiſpanici legati admordes & auges. Aſſerere, ais, legatum, *Hoc bellum geri aduerſus hæreticos S. Matris Eccleſiæ, & ſedi Romanæ inobedientes. Vnde eius continuationem vt neceſſariam, Pontifex vrgeat, Cæſarem ad illam inclinet.* Mutilandi tui digiti eſſent, potiùs quam hæc Epiſtolę verba: primò legatus hoc loco nihil de ſe ipſo aſſerit, ſed compendio recenſet inſtructionem Pontificiam Patri Hyacintho datam: Et tam parum ſuaſit Legatus Hiſpanicus continuationem belli, vt non obſcurè finem eius malit. Deinde cum dicitur bellum geri aduerſus ſedis Romanæ inimicos pernitioſos, tu inductis his verbis, ſufficis *aduerſus ſedi Romanæ inobedientes*, vti & Confeſſionis Auguſtanę alumnos in partem adſciſcas, nam & ipſi ſedi Romanæ non obediunt, ſed non ſunt inimici pernitioſi;

vos

Digitized by Google

vos ſoli Caluiniſtę perniciem ſtruitis, ſed per iuſtum Deum vindicem eâdem induimini.

Sodalitas illa ſub Chriſtianæ defenſionis nomine inſtituta tum demum te offendere deberet, ſi offenſionis nomine inſtituta foret: Nunc egregium Chriſtiani hominis ſpecimen edis, quod ſtomachum tibi moueat, quoſdam ſancto fœdere cōire ad rempublicam Chriſtianam armis propugnandam. Sed dices, contra nos quoq; Caluiniſtas inſtituta eſt hæc ſodalitas. Quomodo, mi Camerari, ſi defenſionis nomine inſtituta eſt? Igitur & vos offenditis? reſponde ſodes, ſi affirmas, iure nos armis defendimus contra hoſtes. Si non offenditis, nihil ea Inſtitutio detrimenti vobis adfert; defendit, non offendit. Sed nimirum illud verum eſt. *Ad quodvis telum facies malè conſcia pallet.*

CAMERARIVS.

Sed nunc (Deo ſit laus & gloria) euidenter apparet finis, Scopus & ratio, Cur Electoratus Palatinatus in Bauarum ſine morâ transferri debeat? *Non enim hîc iuſtitiæ, aut libertatis Germanicæ, vlla mentio. Vna cynoſura eſt, Religio, & Hæreticorum exſtirpatio.*

FABIVS.

Placet hoc loco tandem audiri à me Caluiniſtam

Deo

Deo laudes dicere; laudabile enim opus; ſed illaudabile, Deum laudare propter mendacia in chartas effuſa, ac dolos illaqueandis albis mentibus idoneos. Ex his quæ ſcripſit, ait, *euidenter apparere finem, ſcopum & rationem cur Electoratus Palatinus in Bauarum ſine mora transferri debeat.* Vanitas tua Camerari apparet: Electoratus in Bauariæ Duce tranſlatus eſt (ne fleas) ob atrocia facta, quorum tu Auctor conſilio fuiſti, Palatini tui; & libertatis Germanicæ causâ, cui tu, tuiq; compedes minitabamini, pacis Imperio reſtituendæ causâ, quod fieri non poterat, ſi Palatinus priſtinæ dignitati reſtitueretur. Mediocrem fortunam Caluiniſtæ ferre non poſſunt, ne igitur ſumi ſint, cum certo aliorum exitio, nulli ſint; hoc volunt. Falſum autem eſt Catholicis decretũ fuiſſe Hæreticos, quo tu nomine etiam Confeſſioniſtas intelligis, exſtirpare: ſola neceſſitas nos ad defenſionem aduerſus Caluiniſtas traxit; quod ſi aliter defendi non poſſimus, niſi cum interitu veſtro, intereatis; quando non noſtrâ, ſed veſtrâ culpâ interitis.

Si crudele tibi tergendum eſt ſanguine ferrum,
Tingatur iugulo noxia ſica tuo.

CAMERARIVS.

Sed hic duo præcipuè conſideranda. Primò, proſcribendum Palatinum fuiſſe, vt Iuris aliquis color eſſet, ad finem & ſcopum illum Papatus promouen-

di, & Hæreticos exſtirpandi, citiùs obtinendum: Secundò, hoc fundamento poſito & admiſſo (quod pro immobili architecti huius tragædiæ tenent) nullam eſſe omninò, quamuis iuratam, Cæſaris capitulationem, quam vocant; nullius effectus, pacis religioſæ publicæq́; conſtitutionem; aut cætera Imperij Germanici vincula. Tertiò, conſequenter nullam omnino Euangelicis ſecuritatem, quin quod hodie Palatino accidit, cras cuiuis accidere poßit. Sed plenius hæc deducentur aliàs, cum Deo, ſuo loco, & tempore.

FABIVS.

Repetitio hæc calumniarum eſt, Palatinus non eſt ideo proſcriptus, vt cum colore aliquo noſtra religio propagaretur; proſcriptus eſt ob crimen in feudi Dominum commiſſum, proſcriptus eſt ob læſam maieſtatem, proſcriptus eſt ob alias virtutes, quas exercuit, antequam apud Catholicos vllum tympanum ſtreperet. Quod ſi hic color à Caluiniſtis quæſitus eſt ſicut reuera eſt, habent iam, quo purpurentur conſcripti Patres, tot millibus ferro conciſis. Fundamento hoc poſito & admiſſo, ais, nullam eſſe Cæſaris capitulationem quamuis iuratã, nulla pacis religioſę publicæq; vincula. Non malè ſtruis Camerari, ſed arenâ venti ludibrio ſtruis: fundamentũ ponis vaniſſimum, neque enim Catholicorum finis

Digitized by Google

belli vnquam fuit, aut ſuam Religionem extendere, aut Proteſtantes euertere; Qua de re capitulatio Cæſaris quam & Catholici ſaluam atq; illibatam volunt ſuo pondere etiam deinceps conſiſtet; & per eos paci manebit ſuus flos ac decus, vt fruſtra terreas Confeſſionis Auguſtanæ proceres, quibus nunquam accidet, quod Palatino accidit, quod nunquam patraturi credantur, quæ Palatinus patrauit. *Cuiuis tuta ſuo ſtabit munimine virtus.*

CONSIDERATIO II.^da^

CAMERARIVS.

COnſiderandum eſt, Quod hoc negotium de transferendo Palatinatu in Bauarum Romanus Pontifex tractat. *Is enim monachum Cappuccinum (quod Ieſuitis non vbiq; fides) ad illud perficiendū, in Imperium & Hiſpanias ablegauit. Quid etiam Nuncij Papales varijs in locis à Papa in mandatis habeant, id clariſſimè liquet, tum ex Cardinalis Ludouiſij, qui Romæ ſecundus à Papa, tum ex Caroli Caraffæ, Nuncij Papalis litteris. Nempe hæc funeſta toti Germaniæ tragædia diu Romæ acta fuit. Et non eſt neceſſe, priuatorum hominū familiares Epiſtolas accerſere in teſtimonium, quales ſecreta Anhaltina Cancellaria (vt vocant) idq; carptim & mala*

mala fide exhibet. Authentica & publica nunc acta loquuntur.

FABIVS.

Conſiderationibus plenus eſt Camerarius, & ſenatum perpetim cogit poſt res perditas; cum omnia integra fuêre conſiderandum erat; quanquam & hoc factum, ſed in capita aliorum, in ſua redundandum. *Negotium*, ait Camerarius, *de transferendo Palatinatu Romanus Pontifex tractat.* Quale nefas? Si Palatinus ſuperbè auaréque non appetijſſet regnum Bohemiæ, ſi ſubdolè nihil in Germanos Principes clàm & apertè tentaſſet, nec Romæ ſermo datus hominibus eſſet loquendi, nec alibi; Atque res hæc, quam tu credo ex tuis funeribus funeſtam vocas, Romę, non antè per ora vulgi celebrata eſt quàm Palatinus meruit, vt celebraretur. Omnis orbis, nō Roma ſolum, crudelem temulentiam veſtram narrauit, iudicauit, damnauit. Fruſtra autem accuſas in Cancellaria Anhaltina exſcriptoris fidem; tuam tuorumq́; debebas qui nullam præſtitiſtis in magis arduis rerum. Oſtende ſis calamo, vbi fides Auctoris illius vacillet? Caluiniſtæ verbis non ſueuimus credere, vix argumentis credimus, quia plerumq; ſubdola ſunt, & fallunt incautum. Verba veſtra exſcripſimus, & quidem illa ipſa, quæ manu & ſigno veſtro auctoritatem accepere, vt nemo negare poſſit veſtra eſſe. Superſunt apud nos litteræ autographæ: nulla ijs

litteraacceſſit, nulla manus augens, nulla minuens. Omnia adhuc veſtra; ſi quid falſi in illis, & hoc veſtrum. Veni, vide, erubeſce. Sed quid ego te ad hæc inuito? primum periculoſum eſt, alterum ignominioſum, tertium difficile.

Authentica & publica, ais, *nunc acta loquuntur*, hoc ipſum tibi cordolium parit, quod tua probra, animi ſuperbi ſupplicia audias; an non in Cancellaria Anhaltina loquuntur etiam acta publica? Principum in ea multę litteræ, multæ eorum, qui principes conſilijs in diſcrimina præcipitarunt, inter illos tu nequaquam poſtremus, vidi manum tuam, legi conſilia tua, deprehenſus es, manifeſtus es, omnia in ſole, omnia publica ſunt, quanquã ſi verum fateri velim, publica non eſſent, niſi Deus fortiſſimâ dexterâ pandiſſet Archiuum, quod vos etiam ipſi videbamini velle clauſum, tam enim clandeſtinè veſtra quædam conſilia habuiſtis, vt ne per rimulam quidem patuiſſent, niſi violentum ferrum ad tam nefaria adyta viam aperuiſſet. Inuenimus vos Caluiniſtas quantos quantos, haud magno probitatis pondere. Iam tantum ſupereſt Camerari, vt nos mentiri dicas, & tu facias.

CAMERARIVS.

Inter alia autem ſecreta hoc inprimis notandum hoc loco, Cur hactenus Palatinus Elector, inſtinctu Pontificiorum ab Euangelicis quibuſdam ad ſubmiſſionem

Cæſari

Digitized by Google

Cæſari præſtandam impulſus ſit? *Nempe*, vt etiamſi hoc fecerit, tamèn ne liberi quidem ipſius aliquid ex Patrimonio auito, recipiant, quamuis Pontificiam religionem amplexi fuerint; *vt diſertè ſcribit Cardinalis Ludouiſius. Verum & quid Pontifex Romanus in Imperio iuris, quid in Euangelicos Principes ac ſtatus poteſtatis habet? Iam dudum eliminata eſt eius in Imperio authoritas, nulla ampliùs Iurisdictio. Cùm Carolus V. Imperio ſe abdicaſſet; idq́ʒ Electorum conſenſu Ferdinandus eius frater, Romanus Rex, ſuſcepiſſet, & Pontifex neſcio quid difficultatis mouiſſet; neglecta prorſus vel potiùs exploſa fuit, inanis illius & ridicula oppoſitio; Nunc cùm de columnis Imperij, maximè ſæcularibus Electoribus, agitur; Pontificis interuentiò, imo iudicium, & cognitiò, admittitur, non ſine ſummo Imperij dedecore ac præiudicio. Nam Pontifex Palatinum ſuâ ſententiâ condemnat: & votum Electorale ab eo in Bauariæ Ducem transferendum cenſet, atqʒ ab Imperatore efflagitat.* Et is quidem ei morē gerere omnibus modis deſiderat. *Hoc enim diſertè Comes de Ognate, Legatus Hiſpanicus, commemorat.*

F A B I V S.

Secretum hîc commemoras quod ſecretò ſeruandū

 erat,

erat, ne calami tui vanitas noſceretur; Cardinalis Ludouiſius nuſquam ſcripſit, Palatini liberis nullam portionẽ hæreditatis concedendam, tametſi pontificiam religionem amplectantur. Relege eius epiſtolam, non vt erudiaris, quia non neſcis, ſed vt erubeſcas. Hæc ſunt Cardinalis verba ex tua interpretatione. *Quantum verò ad Palatini perſonam attinet, hoc inſuper adiungo: Quod cum ille iuſtè priuatus ſit Palatinatu, pro magno beneficio habere debeat, ſi Cæſaris pedibus ſe ſubijcere poßit. Et quamuis hoc fecerit, tamen ne liberis quidem ipſius vlla patrimonij portio concedatur. Imo niſi in Catholicâ religione inſtituti fuerint, capitalis error eſſet, Hæreticis perſonis illas ditiones reſtituere.*

Viden', tum tantum nihil hæreditatis venire liberis debere, ſi in Religione paterna tam inquieta, tam infeſta bonis perſeuerent? alius ſenſus Cardinalis eſt, ſi aliter ipſi & in vera religione inſtituantur. Nemo eſt tam duro pectore ex Catholicis, qui pupillos omni ope nudatos abijceret; Cautio tantum illa adhibetur, ne vires habeant, qui ad nocendum nati ſunt Caluiniſtæ. Quæris autem opportunè hîc, quid Pontifex poteſtatis habeat in Euangelicos Principes ac ſtatus? quid putas Camerari? Eam poteſtatem habet, quam habet Paſtor in oues errantes. & ſe alieno gregi miſcentes. Petro & eius ſucceſſo-

Digitized by Google

ceſſoribus Chriſtus dixit, paſce oues meas; igitur aut vobis hic Paſtor eſt, aut vos Chriſti oues non eſtis; niſi malitis iactare poſt Petrum deſijſſe ouile Chriſti, & Paſtorem nullum ſucceſſiſſe; poteſtis hoc dicere, quia abſurdum eſt, & vos alia non loquimini.

Quid Carolo V. Imperio cedente, & ſuccedente fratre Ferdinando difficultatis Pontifex mouerit, quia me clam eſt, nihil reſpondeo, cum præſertim & tu ſileas, triplici ore profuſurus Oceanum verborum, ſi quid ad rem haberes: ſi Pontificis poſtulata in Comitijs exploſa ſunt, Caluiniſticis id ſibilis factitatum eſt, Catholici reuereri ſolent Catholici orbis caput; ſi quâ re grauentur, modeſtè ſignificant; Caluiniſtæ modeſtiam exuerunt, & nullam amplius noſcerent, niſi noſtram viderent. De tribunali Romano, in quo detracta ſit Electoris perſona Principi tuo fruſtra muſſas; nullum in hunc finem ibi erectũ fuit. Cæſar Principem tuum hoſtem iudicauit, & Maieſtatis damnauit. Quod Pontifex eiuſdem ſententiæ fuerit, Cæſariq; ad id conſilium impertierit, non eſt vllum Imperij dedecus, nam ſceptro meo is non vtitur, qui me mouet & docet ſceptro vti, alioquin & tu Palatinus Elector dicereris, qui Principi tuo Auctor monendo atq; inſtigando fuiſti, vt regni alterius auſpicijs conſecrati, habenas ſuſciperet.

CA-

Digitized by Google

CAMERARIVS.

Scimus, quid de VII. Electorum inſtitutione, quid de Imperij Vicariatu illo vacante, quid de alijs Imperij Iuribus, Romani Pontifices olim ſibi arrogauerint, & Pontificij adulatores, Iuris Canonici Doctores quidam, diſputent. Scimus etiam, & cauſas illius, rei euentus nunc docet, quam litem ante paucos annos Chriſtophorus Gewoldus Bauaricus Conſiliarius, de Palatinatus Electoratu, ſcripto publicè Ingolſtadij edito, & nuper adeo ſub exortos hos motus cum recognitione, & augmento recuſo, mouerit. Verum, ſi inauditum hoc exemplum admiſſum fuerit; quod incolumi Germaniæ libertate, ſaluâ iuſtitiâ & manente vllâ tranquillitate publicâ, fieri non poteſt; iam adeo vetus iugum Pontificium, ſibi denuo impoſitum, dulciſsima Patria noſtra ſentiet: Euangelici autem omnes ignauiam & torporem ſuum nimis ſerò agnoſcent, & deplorabunt. Quid fiet Euangelicis in inferioris Saxoniæ Circulo Epiſcopis, ſi in translatione Electoratus ſæcularis, tantum Pontifici Romano permittitur.

FABIVS.

Electorum Inſtitutionem, & Vicariatum in Italia, quem Pontifices ſibi olim vendicabant, hoc loco tantū

admor-

Digitized by Google

admordes, veritus fortaſſe labyrinthos tibi inexplicabiles, ſi campum diſputationis intrares, Bellarminum, quâ de Electoribus, addecebat te refellere; quod vbi præſtiteris, & mihi occurret, quod reſpondeam; Tam enim mihi facilè vera defendere, quàm tibi falſum fingere, etiamſi adhuc exercitatior eſſes; Non terret me iactantię veſtræ fumus, ſed monet, quid lateat. Chriſtophorus Gewoldus, cuius manibus non admodum amicè parentas, libellum ſuum de Imperij ſeptemuiratu non ſcripſit, vt Princeps tuus Electoratum per rebellionem amitteret; ſcripſit ideo, vt Iura Ducis Bauari noſcerentur. Clementia Cæſaris Ludouici olim Rudolphi liberos non prouincijs tantum amiſſis, ſed & dignitati reſtituit; nequaquam ea lege, vt ſui dein filij ſua priuarentur, quod tamen à Carolo Quarto factitatum, non hoſtilitate ſolum in Bauaricam domum impulſo contra ius & fas, ſed nuptiarum quoq; illecebris inducto.

Exemplum quo Cæſar Pontificio conſilio paruit Imperij Maieſtati non officiet; neq; Pontifex idcirco libertatem Germaniæ imminuit, imo auget, quando turbatores Pacis ex Imperio profligare ſuadet. Principes alij officium facturi ſuum, nec Cæſarem, nec Pontificem timere habent; hic enim contra innocentiam nihil conſilij dabit, ille nihil ſtatuet.

CONSIDERATIO. III.

CAMERARIVS.

EX *multis, iiſq́; certis circumſtantijs, firmiſsimè videtur colligi poſſe,* Factam Bauariæ Duci de Palatinatu promiſſionem, antequam Fridericus Elector Bohemiam ingreſſus, & Pragæ coronatus fuit. *Sic autem etiam ex temporis ratione, principalis ſcopus Religionis fit clarior & illuſtrior. Nam quæ poſtea acciderunt in Bohemia; & quæ hodiéque, cum clade & interitu tot millium hominum prorſus innocentium, tantopere exaggerantur ab illis, qui ab oppreſſorum fortuna ambitioni ſuæ patrocinium quærunt; cauſam profectò nullam dederunt ad illa conſilia, quæ iam diu antè inita, & ad effectum ipſum perducta fuerunt. Occaſio tantùm, diu quæſita, ex Bohemiæ motu acceſsit, & hinc etiam prætextus ad colorandam violentiam.*

FABIVS.

Rem magnam præſtas Pſeudole, ſi bonus & verus es; firmiſſimè conſtat te falſa dicere; nihil vnquam ſtatutum in factum Palatini, antequam ageret? Imò nemo prudens ad animum admittere poterat, Caluiniſtas adeo ab ratione deſertum iri, vt vlli ambitioni, quantumuis ingenti, locum darent, & ablatam alieno capiti coronam

per

per nefas prenſarent. Certè Cæſar poſtquam Monachio Viennam reuerſus inaudijt, Palatinum contra omnium opinionem Pragam profectum ac Regium ſolium inuaſiſſe, dixiſſe fertur: *Mirari ſe admodũ, tam ſtolidã Palatini reſolutionẽ.* Auſi ergo eſtis, quod vix inueniſſet fidem; niſi tam inſigni facinore eam vobis feciſſetis. Quæ in Bohemia geſta ſunt, & quæ hodie adhuc geruntur, non manant ex promiſſione Bauaro facta, ſed ex veſtris malè ſanis cœptis. Et falſum eſt à nobis occaſionem quæſitam; Caluiniſtæ officioſiores ſunt; non ſinunt nos atrocia quærere, ipſi offerunt. Faceſſat igitur ſcopus tuus Religionis, quem itentidem repetis, ac ſi is nobis hoc bello fuiſſet præfixus. Scopus noſter fuit tueri noſtra, & quæ iam armis ablata erant, recuperare, nec vſi ſumus occaſione, ſed neceſſitate; ſi clades accepta eſt, ſi prouincia direpta, ſi innocentes oppreſſi, ſi ſumma imis mixta; ad vos hoc culpæ decus pertinet, tanquam nobiles turbarum tam exitioſarum auctores. Bohemia iam veſtra præda erat, Hungariæ opes clàm deſponſæ, vicinarum prouinciarum auxilia promiſſa; Catholicorum terræ in Imperio, arcanis conſilijs, diſtributæ, Octauus Imperij Elector deſignatus, antequam Cæſar vlla arma indueret. Quin & in Imperio miles non centuriabatur duntaxat, ſed etiam ſub ſignis cum pernitie Catholicorum paſſim volitabat, Cæſariq; aliunde miſſa auxilia cædebat; & Bauarus Elector tum demum mouit, poſtquam iam paſſim

arſere bella, & incendia plurimis locis conſpicerentur, in omnibus timerentur. I, Camerari, & deplora calamitates, quas gladius intulit; vos vestrum ſtringendo, ſtrinxiſtis noſtrum. Exſpecto autem quomodo firmiſſimè colligas, promiſſum Bauaro Electoratum, antequam Palatinus Bohemiam ingrederetur? ſed video te ad opus accingi. *Cedite Romani ſcriptores, cedite Grai, cedo & ego.*

CAMERARIVS.

Promiſsionem autem Palatinatus Bauaro iam dudum, & illo tempore factam, vti diximus ex eo liquet; quod in Epiſtola ad Zunigam diſertè dicitur, Cæſarem Iam Olim hoc conſtitutum fixumq; habuiſſe, & promiſſionem illam Bauaro à Cæſare, tam coram & voce, quàm ſcripto factam: Atque ex illa conuentione, & poſt illam conuentionem, Bauarum auxilia Cæſari promiſiſſe.

FABIVS.

Quid ampliùs exigis lector, verba Cæſaris legis, quid ambigis? Veriſſima ſunt verba Cæſaris, ſed non Camerarij, qui dolos ſtruit, ac verba Cæſaris intricat ſuis. Legamus Cæſarem, & conferamus cum Camerario; ita infit Imperator. *Iam olim, antequam celeberrimã mihi Deus victoriam conceſsit, conſtitutum fixumq; haberem, Non poſſe palatinum ſine extremo Catho-*

licorum

licorum omnium, & Domus meæ periculo, ſemel proſcriptum, ad Electoralem dignitatem reſtitui; Bauariæ Duci, Catholicæ Religionis Defenſori acerrimo; cuius ditiones ex altera parte, contra Germaniæ Principes, ditionibus meis, veluti pro vallo, obiacent; adhac conſilio & opibus ad dignitatem eam ſuſtinendã pollenti; Electoratũ (vltro ac ſponte) *à Deo abſq; dubio impulſus, obtuli. Cuius ex eo tempore operâ, cum tam viriliter, in regnorum & Prouinciarum mearum recuperatione, vſus ſim, atq; adhuc hodie vtar; tempus modò magis etiam quàm ipſemet Dux flagitare videtur, vt promiſsi fidem, ſine vlteriori dilatione exſoluam; Translatóq; Electoratu, ſpem quoque Palatino, & ijs, qui eius reſtitutionem à Nobis importunè flagitant, vt Nos moleſtia liberent, adimam.*

Vbi in hoc Cæſaris ſermone Camerari tua ſaliua? Cæſar non dicit, ſe Electoratum Bauaro obtuliſſe, antequam Palatinus Bohemiam eſſet ingreſſus, ſed ait, ſe iam olim ante victoriam Pragenſem obtuliſſe; iam enim tantum commiſerat Palatinus occupando per iniuriam regno, auertendo à Cæſare prouincias, meditando Imperij pernitiem, vt Electoratu ſpoliari poſſet. Vbi autem in verbis Cæſareis hîc à te laudatis (alibi quid habeat, non laboro) tam coram voce, quàm ſcripto? vbi tua con-

uentio, cuius vi Cæſar Electoratum, & Bauarus auxilia promiſit? Cæſar inquit, vltro ac ſponte obtuli, & tu neſcio quas pactiones Cæſari & Bauaro Electori affingis, à Prædicantibus edoctus, qui Dei manum in hunc modũ tractant, quo tu Cæſaris ſermonem contaminaſti tuo. Bauaro *Non pacti merces Honor eſt, ſed nobile belli Præmium.*

CAMERARIVS.

Hoc idem ex ipſa adeo Roma ſæpius perſcriptũ fuit (vbi Legatos & Agentes in rebus Bauarus eam ob cauſam continuò habuit) Quamuis multùm hortante Pontifice, non tamen niſi poſt hanc de adipiſcendo Palatinatu ſtipulationem, ſolenniter Monachij factam, illum Imperatori ſuppetias ſpondere voluiſſe. *Et ſanè veroſimile hoc eſt vel maximè, quòd in ſimili Domus Auſtriacæ, vel etiam maiori periculo, ante hoc tempus, Bauarus neq; Rudolpho, neq; Matthiæ, imò ne ipſi quidem ante fœdus initum Ferdinando ſuppetias tulit. Viuâ autem voce Imperator Bauaro promittere Electoratum non potuit, niſi quando ipſi præſens fuit. quod factum ſub Autumnum, cùm Francofurto, poſt electionem in Romanum Regem, Auguſtam venit, & inde cum Bauaro Monachiũ vſq; profectus fuit, vbi aliquot dies cum ipſo tranſegit.*

Digitized by Google

FABIVS.

Vt firmiſſimè Camerarius concludat, infirmiſſimè, vt ſic loquar, fingit; nego quidquam horum vel ſemel Româ ſcriptum, Camerarius Hamburgo ſcripſit; nec Româ quid ſimile ſcribi potuit, quia nulla Monachij ſtipulatio de Palatinatu facta eſt. Deſine mi homo curis laboréq; vexari, non oſtendes, quantauis calliditate, quidquam à Cæſare, Bauaróque conſtitutum contra Palatinum fuiſſe, antequam ſibi regnum Bohemiæ vendicaret. Sed non ignoro, quò collimes, dicere vis; niſi altior ſpes fodicaſſet Bauari pectus, partes Ferdinandi Cæſaris defendendi nunquam ſuſcepiſſet; ſpes autem fuit Palatinatus obtinendi; ergo, vt induceretur Bauarus, Palatinatus promiſſus eſt. Quid enim fuit vt Rudolphum Cæſarem non iuuerit Bauarus, quum fraternis armis eodem regno deijceretur. *In promptu cauſa eſt, nullus Palatinatus ſpondebatur.* Coniecturæ iſtæ ſunt nullæ ac malignæ. Suppetias Elector Bauarus Cæſari ſpopondit contra Bohemos, Auſtriacoſq; rebellantes, conuentúmque eſt, vt Bauarus occupatam bello Auſtriam ſuperiorem, iure hypothecario retineret. Rudolphus Cæſar primò ſuppetias à Principe Bauariæ non petiuit: Deinde nullum cum Bauaro pactum inijt, nec Bauaro fortaſſe, ſi poſtulatum fuiſſet, conſultum videri poterat ſua arma cum Cæſare iungere, ac malum domum ſuam accerſere, quòd bellum illud, ſolo duorum eiuſdem domus Principum

peei-

Digitized by Google

periculo gereretur, nemo enim alius petebatur, nemo ſibi metuebat, nec religioni catholicæ periculum creabatur. At Bohemicum bellum non erat à Caluiniſtis cæptum, vt in Bohemia finiretur. Miles pariter in Germania ſcribebatur, iactabanturq; paſſim minæ inſolentes, ac prope iam ludibrio erat nomen Catholicum pòſt paulò delendum. Cupido atq; ingluuies Caluiniſtica vno regno non ſatiatur, Europam propè vniuerſam dignam faucibus ſuis prædam ſibi deſtinabat. Non, vbi inciperet furor Caluiniſticus, Bauarus cogitabat, ſed vbi deſiturus eſſet: prudentiſſimè. Si enim tranquillè ſpectaſſet cladem alienam, non ita multò pòſt ſpectaſſent alij ruinam ipſius. Porrò fuit Cæſar Ferdinandus à vobis infeſtiſſimis hoſtibus in ſumma diſcrimina coniectus. Monachij enim dum eſſet nuntium accepit deficientis Hungariæ, & pendere animi Principem tuum (ita ſimulabat, qui multis ſuſpirijs ad ſceptrum anhelabat) in acceptanda, recuſandaq; Bohemici Regni Corona, infida erat vtraq; Auſtria, Ipſa Vienna inſtar Equi Troiani prægnans parturiebat ſeditionem; Sileſia, Morauia, Luſatia, inſanientis Bohemiæ membra, pariter inſaniebant; nec deerant, qui Styrios quoq;, alioſq; Auſtriacæ ditionis populos ad rebellandum impellerent; hoc certè in cardine ac præcipitio rerum, etiam Chriſtiana charitas Bauarum Electorem permouit, vt Romano principi tot malis vndequaq; obſeſſo auxiliarem manum præberet, quam

quo-

quoque haud dubiè, neq; Rudolpho, neq; Matthiæ ſubtraxiſſet, ſi paribus vnquam periculis fuiſſent impliciti; domeſticum illis bellum fuit, noſtrũ foras progreſſum, longè latéque damnum dedit, latiùs etiam daturum, niſi pila pilis retudiſſemus

Iudice me bellum conceſſum eſt pellere bello
Armáq; in armatos ſumere iura ſinunt.

Sed demus denique omnia paria, Bauaróque non plus iuſti timoris fuiſſe in hoc bello, quàm Rudolphiano, tamen potior eſſe debuit Cæſar Ferdinandus arctiore vinculo & cognationis & affinitatis Bauaricę Domui adſtrictus, quippe cui mater Bauara, coniunx Bauara, lectiſſimę Principes.

Cæſaris ergò Ducem Bauarum polluta poteſtas
Et pia cognati tetigit vindicta doloris.

Vnde autem tibi liquet Camerari, quia id tam fidenter effaris, à Cæſare coràm, & viuâ voce Palatinatum Bauaro delatum? Numerum decimum octauum ſuprà ſignaſti, & Caluiniſticè loquutus es, hîc nihil ſignas & liberiùs buccas imples. Centies iam repeto ante manus violentas Coronę Bohemicę illatas, nihil decretum fuiſſe in Palatinum. Qui verò illi Legati Bauarici tam multi, Romæ ſemper hærentes? Vnum ibi Legatum fuiſſe ſcio, nec longo tempore, quem ſi tu ſæpius numeres, conficies ſummam aliquam vanitatum tuarum. Arbitror autem

Digitized by Google

laudabiliùs eſſe ad ſupremum Chriſtianitatis caput Legatum mittere, quàm ad Chriſtiani nominis hoſtes Turcas, quod vos feciſtis, vt ſimiles ſimilibus gauderent, quanquam vos iam fletis, Turcis indignantibus lacrymas veſtras tergere, quas raro aliàs funditis, ſæpiùs facitis, cum clade orbis terrarum.

CAMERARIVS.

Hoc inſuper apertè confirmat intimus quidam Conſiliarius Bauaricus, qui ſub nomine Berchtoldi à Rauchenſtein, in ſuo Conſtantino Peregrino caſtigato, ſeu Reiectione itineris quadrimeſtris Bucquoij, nuper edita (in quâ adoreâ Bauaro an Bucquoio ob victoriam Pragenſem debita diſceptatur) pag. 14. Inter ipſum Cæſarem & Bauarum Monachij, fœdus aduerſus rebelles certis legibus ictum fuiſſe, *diſertè ſcribit, & Conſiliarios, qui ex vtrâque parte adfuerunt, nominatim recenſet. Inde paulo poſt Imperator in Auſtriam rediJt; neq; ex illo tempore (quod ſciamus) Bauarum iterum vidit, aut ipſi loqui potuit. Veriſimile igitur fœdus illud tum initum; cùm vterque Monachij fuerunt: quo tempore Comes Palatinus Elector nondum Rex Bohemiæ inauguratus fuit. Quidquid ſit, & quocunq; tempore hæc euenerint,* Fœdus certè factum fuit, *prout Berchtolduſs, qui adfuit,*

fuit, affirmat. Quod an Capitulationi Cæſareæ conſentaneum ſit, alij conſiderent.

FABIVS.

Conſidera tu Camerari, quid loquare: aërem verberas, Auctor libelli illius, quem hîc nominas, Conſiliarius Electoris Bauari, nec Intimus nec Extimus eſt; & fefellit naſum tuum ex Caluiniſtica ſagacitate compoſitũ nidor. Quisquis autem ille ſit, nihil ille tuam loquacitatem confirmat; ait enim ſolùm Monachij Cæſarem inter Bauarúmque aduerſus rebelles pacta inita: ſi tu, tuuſq; Princeps tunc rebelles fuiſtis; non nego, contra vos quoque inita; ſi vero necdum rebelles fuiſtis, quomodo aduerſum vos ictum fœdus eſt? Rebelles tum erant Bohemi, Morani, Sileſij, Luſatij, Auſtriaci & Hungari, magna hoſtium examina, contra hos Monachij actum eſt; Palatinus aculeum nondum exertauerat, acuebat tamen iam tum miris artibus, vt altius infigeret. Hoc verò loco non capio, quod ſcribas Berchtoldum à Rauchenſtein apertè confirmare, Monachij ictum fuiſſe fœdus contra Palatinum; ſi apertè hoc confirmat, quod tamen falſum eſt, quomodo tibi excidêre verba iſta; *Veriſimile igitur fœdus illud tum initũ, cum vterq; Monachij fuerũt.* Apertè confirmare, eſt dicere rem omnino ita ſe habere; quomodo ergo tu te ipſum caſtigas & inquis, Veriſimile eſſe, percuſſum fœdus, cum vterque Cæſar & Bauarus

Monachij eſſent? Nihil Rauchenſteinius apertè confirmat, niſi hoc quod plus quam veriſimile ſit, te veritatem flocci facere. Vbi igitur, dices, pacti ſunt hi Principes ante Bohemię ſceptrum vſurpatum, de eripiendo Heidelbergenſi Palatinatu? Nuſquam mi Camerari niſi in tua charta, quæ vacua in vulgi manus veniret, niſi figmentis impleretur. At dices, Cęſar Capitulationum ſuarum vi vetitus erat fædera inire? Certè Capitulationes non ſine ſuggillatione, Cęſari Camerarius refricat: ſed ſcire debet Caluinianus hic Cenſor, fœdus primò non eo ſenſu percuſſum, quo Lectorem ludificare pergit. Bauaro Electori nihil cauſæ, nihil litis cum Caluiniſtis erat, certis duntaxat conditionibus (quia bellum neceſſarium Caluiniſtæ fecerunt) ad conſocianda arma cum Cæſare pepigit, ne dum pro alienis defendendis bellum gereret, ſuarum rerum iacturam faceret. Deinde putas tu Camerari præuaricatum Cæſarem eſſe, ac fidem Septemviris Imperij datam conquirendis ſubſidijs violaſſe? Sint contra Capitulationes fœdera, quæ cum exteris Regibus in damnum Imperij ſanciuntur; at citare ſanguine iunctos, Principes poteſtati ſuę ſubiectos, ſummi magiſtratus obſeruantes, fidei memores, opemq; quam debent, contra ſeditioſos, perfidos, rebelles expoſcere, quis vnquam prohibuit, ne fieret? Quis vnquam promiſit, ne faceret? Leges, imò Ius ipſum naturæ, vbi pax publica turbatur, vbi ſalus Imperij periclitatur, vbi innocentes fortu-

nis

nis ſpoliantur, mentibus indit, iubétque à capite Imperij cętus bonorum fieri, conſilia agitare, auxilia conferre, omnē operam impendere, vt periculoſa antequam terras deuaſtet, improborum tempeſtas diſpellatur.

CAMERARIVS.

Sed hoc ſecundò notandum eſt, & res ipſa docuit, & ex Epiſtolis Imperatoris ad Moguntinum, & Bauarum, Comitem item Zollerenſem, & alÿs conſtat; ſtatim ab illo Principum congreſſu Monacenſi, de proſcriptione Palatini cogitatum actumq;, & Mülhuſianum conuentum fruſtra poſtea in eam rem allegatum fuiſſe, expreßè reclamante Electore Saxoniæ in litteris ad Iohannem Palatinum datis. Illas ſcripturas veritatis ſtudioſi lectores haud grauatim inſpiciant, rogamus. Mirabuntur tecta & inuoluta conſilia, varióſque & diuerſos prætextus, qui ſe inuicem multis contradictionibus implicant.

FABIVS.

Dolores animi ex infelici expeditione veſtra contracti memoriam tuam turbant mi Camerari; ſuprà contendebas fœdus inter Cęſarem Bauarúmque Monachij initum cum pollicitatione Palatinatus, quo ſpoliari Heidelbergenſis niſi Proſcriptus non poterat, & tamen hîc ſcribis poſt congreſſum horum Principum fuiſſe demum de Proſcriptione cogitatum pactumq;. Mülhuſianus

conuentus te tuamq; cauſam non iuuat, celebratus is demum fuit poſtquam vos Cæſaris hoſtes orbis agnouit; ſiue ergo in eo de proſcriptione Palatini actum fuiſſet, ſiue inſequenti tempore, præter ius & fas nihil actum fuiſſet. Quid Iuſtitię intereſt Camerari, ſerius aut citius pœnas perſoluas, intereſt tamen vt perſoluas ſi nocens ſis. Epiſtolam Saxonis non vidi; coniecto tamen eam pro innocentia veſtra non eſſe ſcriptam; quia Saxo cauſam veſtram adeo ſuo calculo non probauit, (ſicut nec in hodiernum diem probat) vt armis etiam in vos ſumptis obſtiterit; vti mirum ſit ab eo vos Sanctos haberi quorum facinora damnauit. Conſilia Catholicorum nemo mirabitur tecta & inuoluta, niſi poſtquam à Caluiniana manu deprauata fuerint. Caluiniſtæ addere ſolent, demere, mutare, & penitus Caluiniſtica facere, ita vt in ſcriptis Catholicis planè peccetur, ſed Caluinianâ manu. Ne putes Lectores eſſe pueros, Camerari vt tibi fidem habeant, contradictiones noſtras iactitanti; oſtende ſis digito contradictiones; non ſumus adeo ignari Dialecticę, vt contradictiones intelligamus vbi nullæ ſunt, ſed fiunt à fingente.

Os patulum potiùs dicta ad contraria Caluo eſt.

CAMERARIVS

Quod magis patet ijs, qui legati Hiſpanici, Comitis Ognatenſis, Epiſtolam, Viennâ tùm etiam ad Albertum Archiducem ſcriptam, perlegerint; ex

qua

qua cognoſcant, Conuenire ſolitos in eius domo intimos Cæſareos Conſiliarios, & in eâ, ipſo præſidente (& dirigente procul dubio) Palatini pſcriptionẽ concluſiſſe. *Illum ſanè, tanquam ab oraculo quodam, in rebus maximè arduis conſilia & aſſenſum à ſe exſpectari velle Nuncius Papalis graphicè deſcribit in litteris ad Cardinalem Ludouiſium.*

F A B I V S.

Epiſtolam Legati Hiſpanici quam hîc nominas non vidi, niſi hanc particulam apud te rerum argumentorúmq; egenam; Quid enim in his verbis tibi adiumenti? ſiue in domo Hiſpani, ſiue in Palatio Cæſaris proſcriptio Palatini cuſa ſit, cuſa eſt vt vim haberet. Sententia iuſta nullo loco violatur, & tu hîc ais Cæſarem ex Hiſpani oraculo omnia agere, & tamen alibi effutis, contra Hiſpani vota Bauaro promiſſam à Cæſare Electoratus translationem. Ecce tu contradictionum peritior es, quàm Catholici, certè crebrò vſurpas. Sed falſa omnis tua coniectura eſt; proſcriptio in domo Legati Hiſpanici minimè concluſa eſt: arbitraris tu Imperatori non eſſe aliud prætorium, quàm Legati Hiſpanici Palatium? Aſſeſſores, aut Præſides Cæſarei Senatus eſſe exteros, qui pro libidine ſceptrum Imperij tractent? Si qui Senatorum Aulicorum commeent, ſi aduenas etiam inuiſant conſilij causâ, quid Reſpub. incommodi capit? imò bonum capit, quia

in

in bonum eius conſilia capiuntur. Fas vobis ſit in omnes Mundi plagas, imò etiam ad capitalem Chriſtiani nominis hoſtem Turcam ad conſilia auxiliáque conquirenda excurrere, & nobis noxæ fuerit, homines æqui amantes, & nobis amicos interpellare eorúmque ſenſum dubijs in rebus explorare? Conſilia aliorum duntaxat audimus; imperia neque ipſi dant, neque nos accipimus. Quid facturi ipſi eſſent, non quid fieri velint quęrimus; Conſules illi ſunt, non Iudices. In aulico ſenatu, in tribunali Cæſareo Proſcriptio Palatini in diſceptationem venit, nec diu perplexos Iudices tenuit, quia nemo de atroci crimine, nemo de pæna crimini legibus ſtatuta ambigebat. Itaque Proſcriptio Palatini, vt forenſi ſermone vtar, concepta & nata eſt eo in loco, in quo debuit; lecta & probata eſt à Cæſare, à quo debuit; promulgata eſt ad populum, ad quem debuit, idq; ex veteri ritu ſollemni cæremoniâ.

Si quid peccatum eſt; hoc nos peccaſſe fatemur,
Quòd fuerit factis mitior ira tuis.

CAMERARIVS.

Hæc igitur cum ita acta fuerint, interim tamen illæ inter Electorẽ Palatinum & Bauariæ Ducem litteræ vltro citróque commeârunt, quæ nuper ſingulari ſtudio Monachij in lucem datæ, eum potiſſimùm in finem, vt ita non tantum priuatæ vtilitatis cupi-

ditas

ditas tegeretur, ſed omnis etiam mali cauſa capútq; Comiti Palatino adſcriberetur. Omnibus enim modis Bauarus hoc egit, vt quod maximè cuperet, alijs non innoteſceret; Quamuis in litteris ad Cæſarem datis, Promiſſi fidem ob tot bene merita ſua *expoſcat: & ipſi Hiſpani* Prætenſiones ipſius nimis exorbitantes *iudicent*.

F A B I V S.

Litteræ, quæ inter noſtrum Electorem tuúmq; proſcriptum Principem commeârunt, magno bono lucem aſpexerunt, & argumento eſt hocipſum quod tibi eorum diuulgatio diſpliceat, placitura ſi te malum conſultorem in ijs non inuenires. Attende verò quàm omnia in adulterum ſenſum rapiatis: Princeps Bauarus germanè & verè dehortatus eſt ab cœpto Palatinum; idq; toties & tot argumentis, vt ſi vobis quid rationis ſuperfuiſſet, manibus pedibúſque in eius ſententiam iuiſſetis. Quorſum oro te iſta? ſi Bauarus Palatinatum concupiuiſſet, ſi proſcriptionem Palatini optâſſet, haud admodum ſapienter conatus fuiſſet Palatini cupiditati, quâ regnũ ambiebat, frena inijcere, ac ſalutari conſilio incautũ Iuuenẽ abſterrere. Tecum agam, mi Camerari, ſi te in Cruce pendulũ mihi luberet conſpicere, & interim te hortarer ad rectè facta; rectè quidem ego agerẽ hortando, ſed ſtultè facerẽ aduerſus votũ meum, quo te victimã in alto offerendam itendidem deſtinarem.

Digitized by Google

Si Bauarus Elector Palatino ſcripſiſſet, Mi cognate ad coronam inuitaris; ad ingens incrementum Domus tuæ; ad ſupremum ſummi honoris faſtigium; noli deeſſe tantæ fortunæ: rarò & raris regna obueniunt: Dijs ſimillimus fit, qui hunc gradum ſcandit. Age, aude & regiũ animum indue; animum dignum coniuge, quæ Rege ſata, in ſpem Regni nupſit. Et Bohemi Proceres te elegêre, quia parem regno iudicârunt; ſi recuſes, erraſſe iudicium ipſorum, aut tua indoles videbitur, neutrum velim, & tantorum virorum eligentium & tui cognati cauſâ, quem ne regnares nemo elegit. Hæc inquam aut ſimilia ſi ſcripſiſſet Elector Bauarus, prædicare poſſes nares tuas, quæ ſuboleuiſſent tectam verſutiam; cùm verò multis magníſque argumentis ſuaſerit, vti Palatinus alienis abſtineret; malum ſibi per tot aliorum mala non acceſſeret; Imperium Romanũm quietum eſſe ſineret, calamitates Patriæ caueret; quid ſuſpicionis tibi obrepit, Bauarum iſta ſcripſiſſe vt Palatinũ euerteret? ſcripſit iſta vt ſaluus eſſet; ſi interire voluiſſet, ſuaſiſſet interitui idonea, ſed non ipſi aut tibi, æſtuantibus alieni Regni cupidine.

Illa ſuperba olim nunc Heidelberga maneret
Conſilijs Bauari, ſi foret vſa Ducis.

Sed omnis mali cauſa capútque Palatinus ipſe, & ij, qui nimij ſpiritus Principem conſilijs excitârunt; te innoxiũ eſſe nec hæc Charta demonſtrat, ſed quid Bauarus occul-

tum voluit? Palatinatum ſe cupiſcere? nihil occuluit, & ſi concupiuiſſet non concupiuiſſet antequam amitteretur à tuo, quod iure concupiſcere poſſet. Sed promiſſi fidem exegit à Cæſare; vnde verò tibi id liquet? Finge concupiuiſſe; an cum iniuria vllius? eam militarem operam præſtiterat Cæſari, vt promiſſum exigere potuiſſet, & Cæſar promiſſi fidem exſoluere. Imò Bauarum fortibus factis meruiſſe Electoralem dignitatem, quam Palatinus rebellione amiſerat, teſtatum fecit Ratisbonæ Cæſar publico cum Encomio, aſſentientibus etiam Imperij Septemviris, aliiſque, qui concilio intererant, Principibus. Igitur accepit virtutis ergò: vt acclamare libeat. Sic extollantur, qui Cæſarem propugnant; ſic deijciantur qui Cæſarem oppugnant: neque Hiſpani hoc in genere, vti tecum loquar, *prætenſiones Bauari nimis exorbitantes iudicarũt*, ſed cùm ſumptus Belli in ſuperiore Auſtria geſti æſtimaret Hiſpaniæ Legatus, ſimile quid cenſere potuit, nondum omnino certus expenſi; tu ad quodlibet quidlibet allinis, vt videantur alij ſentire, quod tu eos ſentire velles. Notæ iam ſunt artes veſtræ, nec tamen erubeſcitis, niſi cum bona facienda.

CAMERARIVS.

Vt autem indignitas rei, dum ſub ſpecie boni publici priuata duntaxat commoda quæſita fuerũt, euerſione iniuſtâ innocentis, & bene de ipſo mereri

ſtudentis agnati, eo magis occularetur; variæ proſcriptionis cauſæ in Palatinum quæſitæ, tam in litteris illis ſuperiùs memoratis, quam in ipſa proſcriptionis formula, quæ tamen nuſquam ſibi conſentiunt, ſed multis in rebus ſe mutuò elidunt. Vna autem & vera, prima & potiſſima cauſa fuit, quæ in I. Conſideratione à nobis demonſtrata eſt, Religionis nempe Pontificiæ exaltatio, & Euangelicorũ extirpatio. *Sunt enim hæc connexa; & vnum ex altero neceſſariò ſequitur.*

FABIVS.

Venis, Camerari, ad abſtruſiores latebras, quibus Bauarus conſilia ſua abdidit: quæſitæ ſunt variæ proſcriptionis cauſæ, tam in litteris Numero 12. (quæ ſunt Nuncij Apoſtolici) quàm in proſcriptionis formula, ita ait Camerarius ſine fronte; aut certè ſi frontem habeat oſtendat in nominata Epiſtola vllam proſcriptionis cauſam; imò nec proſcriptionis in illa fit mentio; placet tamen, quod breuiter mentiatur; ita me breuiter expedio. *At in formula proſcriptionis cauſæ quæſitæ ſunt, & ſe mutuo elidentes.* Ego verò non nego proſcriptionis cauſas eſſe quæſitas, ſed à Caluiniſtis; Camerarius primò quaſdam quæſiuit, cùm malis ac noxijs conſilijs ad illicitam alieni regni cupidinem, fortunâ & genere ferocem Iuuenem illexit. Quæſiuit ipſe Palatinus cauſas quando inſu-

inſuper habitis cognati Bauari monitis & dehortationibus aleam iecit, quando Cæſaris Regnũ ſibi vindicauit, quando hoſtili manu terras eius intrauit, quando alia fecit proſcriptione digna in ipſa proſcriptionis forma & defenſione Cęſarei iuris enumerata, quando illa patrauit, quæ iam luit; meruit enim, vt non quæ vellet poſſideret, ſed vt ea haberet, quæ Cæſar ipſi relinqueret. Quia verò ego tam hebes ſum, vt eliſiones illas cauſarum Proſcriptionis non capiam, etiam atque etiam rogo Camerariũ, vt cerebro meo ſolem accendat. Lego, relego fatale tibi decretum, pugnantes cauſas nullas video; imò verò video, quia pugnant contra Palatinum & Camerarium, quod & ipſi pugnarint, nullos habituri hoſtes, aut Proſcriptores, ſi quieuiſſent.

Vnam, primam, veram & potiſſimam cauſam interdictæ vobis aquæ & ignis, exaltationem Pontificiæ Religionis, & exſtirpationem Euangelicæ ſuprà immodeſto calamo ſcripſiſti, quomodo hic verum dices? Demus enim tibi, vel ſemel ab aliquo principe ſcriptum, ad exaltationem Religionis Catholicæ attendendum, quid detrimenti inde reſpublica feret? Religio Catholica iam alicubi pedibus veſtris ſubſtrata conculcabatur, alibi conculcanda erat. Inuiſum exemplum Praga in vetuſtiſſimo Regum ſacrario profanando edidit. Exaltanda igitur religio, quæ iacuerat, erat ijs in locis, quibus per conuenta Germanica inuiolatam florere fas eſt. Cum pro-

feſſis Auguſtanæ confeſſionis nulla inimicitia nobis, nullæ rixæ, nec ob religionem illis inſidiamur:

Iura fideſq́ valent, commiſſáq; dextera dextræ.

Contra graſſatores Caluiniſtas ſolùm nos & noſtra ſalua voluimus, noſtra autem quoque eſt religio Catholica, quæ ſine dubio, nefarijs ſtudijs depreſſa, vt ſuo loco redderetur, exaltari debuit. Quæro ex te hoc loco Camerari, quando hanc pugnam iniuimus, an is ſe magno ſcelere obſtringeret, qui religionem tuam euerſum iret? Quęro & quęſo per verſutas Muſas tuas, per Geniũ Caluiniſticum tuum, reſponde, quæ lex aut pactio perturbaretur ex perturbatione Caluiniſmi? Non ignoras, Camerari, Catholicos tam atrociter prouocatos iuſtè vobis eripere poſſe, quod vos alijs eripere contra ius tentaſtis; atque hinc timor & tremor tuus; hinc periculum Religionis tam lubrico loco ſtantis exhorreſcis. Non enim eſt vobis ius vllum per Prouincias Imperij: habitatis nobiſcum Peregrinorum more, beneuolentiâ eorum retenti, quorum indignatione expelli poteſtis.

Qui ſceptris inferre manus, noſtróq; ſubacto
Cæſare, Germanas tentatis ſternere vires.

Sed placet quòd tua dicta ſe elidant; ais vnam, & potiſſimam belli cauſam fuiſſe religionem; age, ſi vera ſeu vnica, quia tu aliam non nominas, cauſa fuit, quomodo illa vna etiam potiſſima eſt? potiſſima cauſa alias ſocias habet, aliàs non eſt potiſſima, vna autem ſeu vnica non habet

ſocias,

ſocias, aut igitur vna ſeu vnica non fuit, aut potiſſima non fuit; aut neutra, quod credo.

CAMERARIVS.

Sed hanc cauſam in omni actione cum Saxoniæ imprimis Electore, aliíſque Principibus Euangelicis, ex Pauli Windeccij, & Ieſuitarum doctrina diſsimulare neceſſe fuit, vt illi, Palatini partibus deſertis Pontificijs ſe iungerent. Nam ipſe profecto Saxoniæ Elector non ita facile ſe moueri paſſus eſt; aut ſi eius conſilia locum inueniſſent, iniuſta illa & tot Nullitatibus obnoxia proſcriptio, præcipitata non fuiſſet. Ex Cæſaris enim ad Albertum Archiducem & Bauarum ſcriptis litteris Viennæ 1. Iulij Anno 1620. videre eſt, Saxoniæ Electorem omnino ſuaſiſſe, vt antequam proſcriptionis fulmine emiſſo bellum contra Palatinum ſuſciperetur, ſolemnis Electorum conuentus celebraretur. *Et additur ibi cauſa (an ex mente Saxoniæ Electoris, ipſe omnium optimè nouit)* vt eò melius apud ſuæ Religionis ſocios ſe excuſare poſſet.

FABIVS.

Veriora verba, Camerari; quod non fuit, diſſimulari neceſſe non fuit. Catholicis conſilium nunquam fuit Confeſſioniſtas bello inuadere, ſed ſi quę vis ingrueret

ret iure naturæ repellere: quidam nobis minitabantur, quidam arma intulerunt. Quid nos faceremus? aut occumbendũ fuit, aut contra tenſendum. Ferro ergò accincti iuimus in euerſores Germanici Imperij, Caluiniſtę rebelles ſoli petebantur, quia illi ceruicibus noſtris imminebant. Non pęnitebit vnquã Saxonẽ habitæ nobis fidei: cui enim Proteſtantium armis nocuimus? cui vel vnum agellum eripuimus? quod aliqui ex vicinitate incendij, ambuſti etiam ſint, id culpa Catholicorum non eſt, communis Martis, quem pium etiam Caluiniſtæ nunquam efficient, ſe non poſſunt. Et iam Catholici paſſim queruntur damna à grauibus amicis illata: magna grando multas meſſes demetit; felicior, qui remotior; Eò magis execrandæ ſunt Canidiæ Caluiniſticæ ventorum, & lapidum tempeſtatúmque potentes; cauſa mali tanti, æſtimauit quidem Saxo è re fore, ſi ſub initium veſtræ temeræ veſaniæ conuentus Electorum celebraretur, ſed quia via facti, vt ſic dicam, ac ferro litem vobis decernere placuit, nemini ampliùs viſum eſt è re fore cætum facere, ſed armis arma opponere. Saxo ipſe ad compeſcendos furores veſtros in Luſatiam mouit, capútque gentis Bauzium expugnauit, magno argumento cauſam veſtram eſſe peſſimam, & dignam ſupplicio, quod iam cum tanta quiritatione luitis. Quia verò dubitas an per conuentum, quem volebat, cauſam excuſationis ſuæ quæſierit, haud

facilè

Digitized by Google

facilè inuenies, qui dubium tuum clariùs expedire poſſit, quàm ipſe Saxo, ſcribere ſine dubio ad illum audes; quia ſcribere auſus fuiſti (ſcis vbi & ad quem) eum Saxei cordis hominem, cum Catholicis opprimendum.

Caluini furor hic, & ſumma licentia ferri eſt.

Vos Caluiniſtæ Camerari armis cæpiſtis, armis creuiſtis, armis peribitis, quia perdituri eratis.

CAMERARIVS.

Certè ex Comitis de Ognata ad Archiducem Epiſtola, cuius antè facta fuit mentio, apparet Saxoniæ Electorem tum proteſtatum, Vt ad illum conuentum vocaretur etiam Elector Brandeburgicus, ſine cuius præſentia nullum concluſum Electorale fieri, præſertim in Collegam Electorem ritè poſſet. *Sed omnia illa monita inſuper habita, poſtquam victoria Pragenſis, vindictæ frena laxauit, & nullo ſeruato iuris ordine, contra expreßißimam ſanctionem Capitulationis, ſub prætextu plenitudinis poteſtatis, proſcriptionis formula multoties aucta, præſertim ex actis Pragæ repertis, promulgata fuit. Id enim ex comparatione primæ conceptionis cum poſtrema ſtatim licet animaduertere.*

FABIVS.

Epiſtola Comitis de Ognata noſtræ cauſæ non officit, nam ſine dubio nullum concluſum Electorale fieri poteſt ſine Electoribus, ſicut neq; conuentus eſſe poteſt Caluiniſticus ſine Caluiniſtis. Sed in quæſtione eſt vt aduerto apud te, an iuris neceſſitate in aperto læſę Maieſtatis crimine, præſertim quando mora exitiale periculum creat, ipſi quoque Electores ſint Iudices; cuius ſolutionem ab ipſo Cæſare pete; reſpondebit puto quæ nolles, feciſti & tu, quæ ipſe noluit. De Electore Saxone hoc habę. Auerſatum eum ſemper Palatini facinus, neq; vnquam tendiſſe, vt violator ille Maieſtatis non proſcriberetur, monuiſſe tantùm Cæſarem, vt Imperij Proceres conuocaret, quia minimè dubitabat ipſe, neminem vnum niſi Cæſaris hoſtem, Palatino patrocinaturum. E conuentu Mülhuſienſi vnâ cum alijs ad eundem litteras dehortatorias dedit, quas Palatinus nullo loco habuit, ſine monitore periturus. Nec ſpes Cæſari erat pariturũ; igitur & à Saxone conſilium poſtulauit, quid ſuper contumace ſtatuendum foret. Reſpondit Elector Saxo procedendum eſſe rigore Conſtitutionum & legum Imperij. Quid iſtoc reſponſi eſt Camerari? nonnè ſatis diſertè? quid ſanciunt leges? *certè eiuſmodi hoſtes patriæ ac turbatores Imperij* (in re iuridica Camerari iuris peritus, verba iuridica non inuitus audiet) *in notoriâ ac*

per-

permanente rebellione, poſt tot mandata auocatoria ſub pæna Banni, ac cum termino euentuali emanata, ac ob non factam paritionem purificata ſine vlteriore citatione & proceſſu, in pænas fractæ pacis declarandos, proſcribendos, & communibus viribus Imperij proſequendos volunt & permittunt.

Satis iuridicè iſta & apertè Camerari; apertè omnino, quia neq; vos rei & ſontes in obſcuro verſamini, vniuerſo Orbi noti, ſed damnato nomine.

Et quamuis Cæſar iuris ſui eſſe arbitretur ſe pro ſumma poteſtate in rebelles Principes animaduertere poſſe proſcriptione, tamen omnino ei conſilium erat Edicto Imperij ſeptemviros accire, atq; de ſumma rei cum illis agitare; ſed obſtitêre tempora Caluiniſtico Marte turbulenta. Principes domi timebant, peregrè ire non placuit, ne periculum gliſceret cuſtodiâ abſente. Quantâ difficultate nuper Ratiſponam ab aliquibus conuentum? Quoties dicta dies & mutata? quot interuenêre impedimenta? Quod tempus tandem omnes attraxiſſet? Multi incommodorum causâ opinati ſunt nondum maturam profectionem, quæ ſera vel anticipata fuiſſet: adeò Caluini turbo omnia confuderat & per multas Prouincias intuta itinera militaris inſolentia fecerat. Igitur quod Cæſar fecit, Cæſareâ poteſtate fecit, ſummóque iure, & fruſtra tu blateras proſcriptionis formulam promulgatã

Digitized by Google

eſſe contra expreſſiſſimam Sanctionem Capitulationis. Articulus 36. vt tu hîc adnotas, hoc, quod pertinere huc poteſt, ſolùm habet: *Cum primis volumus* (Imperator loquitur) *& debemus etiam. Nulli ſucceßioni vel hæreditati toties nunc commemorati S. Romani Imperij inhiare, nec ad Noſtros hæredes atq; poſteros transferre.* An quidquam à Cæſare contra hunc articulum commiſſum? Succeſſioni aut hæreditati nullius inhiauit; vos inhiaſtis ſucceſſioni Regni, antequam anteceſſor moreretur? Quòd ſi iam Cæſar cogitet (quod mihi compertum non eſt) transferre hæreditatem Palatini, nihil alieni transferre cogitat, feudum enim illud, quod Heidelbergenſis à Cæſare habuit in Commiſſum cecidit, ob atrocia facinora à Palatino in feudi Dominum patrata. Sed art. XXV. promiſit Imperator ſe neq; Electoribus, neq; alijs violentiam illaturum; ita eſt; ſed non promiſit ſe violentiam ſibi illatam non repulſurum, neq; ſontes meritâ pœnâ plexurum. Qui bella alijs infert, expectet. Qui ſpolia adimere parat, adimi patiatur. Articulus XXVI. validiùs nos iugulat. ita enim habet. *Debemus & volumus etiam præcauere, & nullo modo committere, vt in poſterùm quisquam tam ſuperioris, quàm inferioris ſortis & conditionis homines, Electores, Principes, vel alij Ordines, abſq; cauſa & inauditi, proſcribantur; ſed*

multò

Digitized by Google

multò magis in illis caſibus Ordinarij Proceſſus, & S.ⁱ Rom. Imperij Conſtitutiones ex præſcripto eiusdem Imperij A. C. M. D. L V. reformatæ Imperialis Cameræ Conſtitutionis, & ſubſecuti Comitiorum Receſſus, ordinario legitimóq; modo obſeruentur: Attamen vt læſæ parti, iuxta pacis Prouincialis requiſita, legitima ſua defenſio reſeruetur. Quaſi verò, mi Camerari Cæſar aut ad hunc articulum cæcutiret, aut viſum violaret? abſq; cauſa & inauditus tuus Princeps non eſt proſcriptus. An rapina Regni nulla cauſa iratum & iuſtæ vindictæ? Inauditum tuum Principem quo ore dices? vtinam anguſtius tribunal habuiſſet; tota Germania quam afflixit illum audiuit; tota Germania, niſi quâ Caluiniſtica eſt, damnauit. Cum facto mihi rem dicis, verba non exigo; nec tu verbis agere cupis, cum arma apprehendis. Monitus fuit à Cęſare publicis tabellis, vt malè cæptis abſiſteret: quid reſpondit? Nihil: vis vt illum audiam? loquatur: Mutum præ arrogantia, & ſuperbum ſacrilegâ poſſeſſione regni nemo audit; quid Cęſarem vellicas, quòd Palatinum non audierit loquentem, audijt illum omnia in horriſonam ruinā impellentem. Satis exauditus eſt ad pænas ab eo expoſcendas, & fruſtra querimini non ſeruatum iuris ordinē, quia vos hunc inuertiſtis; nos tamen in hoc ſeruauimus, quòd culpę indixerimus mulctam; Iuſtus is Iuris ordo eſt, ſed tibi incommodus; incommodaſtis & nobis.

CAMERARIVS.

Tertiò conſiderandum, poſtquam iam pactis ſingularibus translatio Palatinatus in Bauarum ſtipulata promiſſáq; fuit, quòd nihilominus ex eo tempore, & longo interuallo, Bauariæ Dux, Vlmæ Sueuorum, in tranſactione illa cum vnitis ſanctiſſimis verbis initâ, Palatinatum vniuerſum nominatim, & diſertis verbis, comprehendit; ſine vlla exceptione, excluſâ omni fraude, firmiſſimè promittens, Nullam vim, à ſe, aut ſocijs S. Ligæ, illi metuendam aut expectandam eſſe: *vt oſtendit tranſactionis illius formula.*

FABIVS.

Identidem tu inculcas translationem Palatinatus ſtipulatione fuiſſe promiſſam, ſed identidem loqueris Caluiniſticè, vti etiam de tranſactione Vlmæ Sueuorum, quam ais, à Bauaro cum vnitis initam ſanctiſſimis verbis, quę tamen, inſequenti opportunitate alienis creſcendi pro nihilo habita. Sine omni enim religione Bauarus, Palatinatum, Bauaricę fidei ſecurum, armatus intrauit, occupauítque. Exclamare hîc debebas Camerari, in tanta indignitate rei! Sed quia tu malis oppreſſus torpes fortaſſe, liceat mihi vocem tollere, & ingeminare ô hominem falſiloquum. Bauarus Elector Camerari, vt rem noris, & ſuo & Ligæ nomine, arma Palatinatui innoxia futura ita promiſit, vt Cæſaris imperio, & ſuæ aduerſus

verſus illum obſeruantię nihil derogaret. Cùm enim pars aduerſa multis contenderet, conuentúmque etiam vellet, vti Bauarus reliquis conditionibus adderet, ſe neq; Cæſaris mandato in Palatini prouincias quicquam tentaturum, diſertè Cęſaris imperium, ſeu, vt vocant, commiſſionem, ſi fortè illi imperaretur, excepit. Superſunt adhuc, qui tranſactioni interfuere nimis magni teſtes contra te, minoribus imparem, ita omnem fidem amiſiſti, dum fidem ſcribendo quæris. Sed demus (quod tamen aliter ſe habet) ſine vlla exceptione ſaluti Palatinæ à Bauaro fuiſſe pactione cautum, ergo religionem verborum ſuorum Bauarus violauit? Sit & mihi locus dicendi, Camerari; Bauarus Elector Vlmenſem tranſactionem non inijt, vt inuadentes ſe non inuaderet. Laceſſitus, ſi ita vis, in Palatinatum ſuperiorem mouit; laceſſitus inferiorem armatus intrauit; vos inuitum traxiſtis. Tillius cùm reliquias Belli Bohemici proſequeretur, atq; Ellenbogium Vrbem Cæſaris imperium adhuc detrectantem obſideret, Mansfeldius omni ope contendit, obſeſſis auxilium ferre, ac finitima loca infeſtare, vt Tillium ab Ellenbogenſi obſidione abſtraheret. Ergò omnibus copijs in Bohemiam contendit; ſed, vt vir eſt, vbi aduerſus ſe Tillium paratum aduertit, ſollicitus magis quomodo ſeipſe periculo eximeret, retrò caſtra mouit, relicturus obſeſſis clementiam victoris, Tillius poſt Ellenbogium captum, in extima Bohemiæ ſilua caſtra poſuit, vti

Mans-

Mansfeldium Bohemiæ rurſus imminentem coërceret; Palatinatu ſine maleficio abſtinuit, tranſactionis Vlmenſis memor: immemor verò Mansfeldius in Tillium, cùm ſtatiua haberet in diſcrimine Bohemię ac Bauariæ, alia omnia expectantem ſtructâ acie impetum fecit pluréſq; tumultuariâ pugnâ neci dedit; Inter alios Baurium quoq; militarem Tribunum belli gloriâ inſignem. Neque hîc conſtitit Mansfeldiana audacia; Bauaros incautiùs commeantes intercepit, alia hoſtilia fecit, alia facturus, extructis aliquot terreis propugnaculis ſuperatu difficillimis, vti tutum receptum prædatores eius haberent, Pfriendam inſuper ſedem Leichtenbergici Principis, quem Bauarus Elector in tutelam acceperat, Mansfeldius coronâ cingit, capit, hoſtiliterq; diripit, ac Principem propè omnibus exutum abducit, retentis per præſidia tribus munitiſſimis in Bohemia locis, è quibus Cæſaris deditíoſ nouâ ſemper ac nouâ clade vexabat. Bauarus igitur irritatus Mansfeldianâ inſolentiâ monitíſque Palatinatus populis, vti ſecum ſi ſalui eſſe vellent communem hoſtem perſequerentur; ſi nollent ſibi prouidendū non quidē re ipſorum, ſed quidē Repub. cenſeret; cùm monita vel non audirent, vel mouere ſe non auderent, omnē Exercitum in Palatinatum ducit, primámque Regionis Vrbem Camum obſidet, & ad deditionem cogit, eo conſilio, ne ad hoſtem tendendo peſtem à tergo relinqueret. Mansfeldius, ne ab duplici Exercitu intercluderetur

retur mendacio viam muniens Prouinciâ excedit, vtique rediturus, ſi opportuniora Militi loca non innueniſſet. Ergò Bauarus ob id ipſum & quia à Cæſare iuſſus erat, vt tam infeſtum hoſtem longiùs à Bohemia arceret, ſuperiorem Palatinatum in deditionem Cæſareo nomine accipit, præſidiiſq; aduerſus omnes incurſiones firmat: Ac iam ſatis gnarus ingenij Mansfeldij, Tillium cum expedita manu ſubſequi iubet ad obſiſtendum tam pernitioſi hominis conatibus. Sed iam Veerius, quoque ſupremus Palatini Legatus ad Rhenum, pacem Vlmenſem ruperat, Spirenſis Epiſcopi terras deprædando par Mansfeldio legirupa, vt planè mirabile ſit, audere Camerariumdicere Principem Bauarum violaſſe pactionem Vlmenſem. Non nego illum alia feciſſe, quàm pactio illa prohibebat; ſed & Caluiniſtæ alia priùs fecerunt; fœderum ruptoribus fœdera rumpuntur; & perfidi eam fortunam habent, quam faciunt.

CAMERARIVS.

Quartò, quòd etiamſi Dux Bauariæ, ex ſæpius dicto fœdere, & pactis conuentis, inueſtituram Palatinatus habuit, vt apparet ex Cæſaris ad Hyacinthum Monachum litteris; nihilominus tamen res tota ſemper tecta, & ſtudioſiſſimè occultata fuerit; & varij colores infauſti & exitioſi belli quæſiti: Imprimis, Ac ſi tantum propter Mansfeldium Comi-

tem expeditio in ſuperiorem Palatinatum ſuſcepta. *quod & Cæſaris Bauariq; Epiſtolæ præ ſe ferunt, & ſcripto prolixo in eum finem edito, & Conſiliarijs Ambergenſibus, Ordinibúſq; illius Prouinciæ transmiſſo, Bauarus cum Exercitu propinquans conteſtatus eſt: cum tamen Mansfeldius, vt prætextum illum adimeret, ſuum militem ex illis locis omnino deduxiſſet.*

FABIVS.

Ex pacto & fœdere Bauariæ Elector nullam inueſtituram habuit, ſed ex libera Cæſaris voluntate, ſuprà enim audiuimus, quòd vltrò ac ſponte Electoratum Bauaro Cæſar obtulerit, ſed non niſi poſt ſuſceptos bellicos labores, & adita Martis pericula: debitum id erat virtuti præmium. Colores infauſti & exitioſi belli à vobis quæſiti ſunt; nos nulli bello initium dedimus; finiuimus duntaxat noſtro ferro veſtra certamina, quibus cōplexuri eratis ipſam Europam, ſi par conſilijs fuiſſet ſucceſſus. In Palatinatum Superiorem vti iam memoraui Bauarus expeditionem ſuſcepit propter Mansfeldium, qui infeſtus erat Bohemiæ quotidianis excurſionibus, infeſtus Exercitui Bauarico, infeſtus iter facientibus, & timendus eò magis, quòd Iāgerdorferus ab altera quoque parte Bohemiæ omnes belli iniurias minitaretur, iuncturus ſe Mansfeldio, ſi opportunitas daretur. Si pacem in Palati-

Digitized by Google

latinatu volebatis eſſe, ſeruare [illegible], pacificis pax promiſſa eſt; perire volentes nulla fœdera tuentur. Mansfeldius tum demum militem ſuum ex Palatinatu ſuperiore deduxit, poſtquam ſe imparem Bauaro animaduertit; metu videlicet, non pacis promiſſæ ſtudio: Et haud dubiè non diſceſſerat reditum eiuraturus. Ad excludendum igitur Bohemiâ Mansfeldium, & quia Generalis Veer fœderatos Catholicos præter ius & fas ad Rhenum bello vexabat, Bauarus Elector ſuperiorem Palatinatum Imperante etiam Cæſare armis occupauit: omiſſurus, ſi armis poſitis Imperatoriâ Clementiâ maluiſſent vti hoſtes.

CAMERARIVS.

Quinto, quòd in hodiernum diem Cæſaris nomen & auctoritas, Paciſq; publicæ in Imperio conſeruandæ ſtudium, prætexitur; cùm tamen bellum ex bello ſeritur; Romæ, in Hiſpaniâ, & alibi fœdera tractantur; & ad extremam deſperationem iniuſtè oppreſſis redactis, totum Imperium in calamitatem irreparabilem conijcitur; tantum vt Bauaro in Palatinatus poſſeſſionem violenter intruſo obtineatur ſcopus ſæpe dictus: nimirum, vt exſtirpatis Hæreticis exaltetur Romanenſis ſuperſtitio.

FABIVS.

Omnino pax publica nos ad arma compulit, vna

iſta vetus, & hodierna nobis belli cauſa; Martij tantum ſumus, cùm efficimur, & iam veſtrâ Experientiâ Camerari didiciſti, nos & pacem ferre poſſe, & bellum, proinde laceſſere deinceps omittite, pacatæ diu nubes, ſi ventorum flabris impellantur, intonant. Quòd fœdera Catholici tractent, ignoſcetis; tractaſtis & vos multò antè, atque vtinam non tractaſſetis, melius tractati eſſetis. Quoties iam dictum belli finem non fuiſſe, quem tu ſine fine ingeris, vt exſtirpatis Hæreticis exaltaretur noſtra Religio, & Bauarus in Palatinatum induceretur? Finis hîc eſſe non potuit, quia vos eum ſtatuiſtis: non abnuo tamen Electoratum illuſtres belli manubias eſſe, & in magnum ſtipendium magno Militi cedere.

CONSIDERATIO. IVª.

CAMERARIVS.

S*Ed præter communem illum ſcopum, de quo iam ſæpius, hîc etiam peculiaris accedit, qui in Poſtſcripto ad Zunigam luculenter expreſſus.* Quòd ſcilicet tranſlato Palatinatu in Bauarum, & ita primario voto Euangelici Electoris ad Pontificium Principem reducto, non tantùm apex Imperialis dignitatis ſemper penes Romano-Catholicos, permanſurus, ſed etiam hoc pacto omni ratione penes Vnicam Domum Auſtriacam corona Romani Imperij æternatura ſit. *Ex quo vix*

dubi-

dubitandum in fœdere Monacenſi eiuſmodi conditiones inſertas. Sed inſpiciatur de negotio tanti momenti, Cæſaris iurata Capitulatio. Sparguntur in famoſis quibusdam libellis in Palatinum Electorem atroces iniuriæ, ac calumniæ prorſus diabolicæ; ac ſi eiuſmodi conſilijs, de euehendo ad Imperij culmen alio quodam Principe, quàm Auſtriaco, crimen læſæ Maieſtatis commiſiſſet. Quòd ſi crimen eſt, libertatem Germanici Imperij, & Electorum inprimis Principum, & Iuris-jurandi religione, patriæq; amore, tueri ac defendere; tum ſanè omnes Principes ac ſtatus Imperij viderint, quid de Aurea Bulla, de Capitulatione Cæſarea, de alijs legibus Fundamentalibus, breui futurum ſit.

FABIVS.

Scopus ille, de quo tu hîc, planè communis eſt, non quidem Catholicis, ſed tuis Conſiderationibus; omnes enim tuas pagellas ementitâ hac margaritâ exornas. Noſtram Religionem volumus firmatam, nullum alijs moliri periculum; ad hęc pertinebat præcipuum ex Imperio turbinem, Caluiniſticam petulantiam profligare, & Catholicam pacisque amantem Religionis ſuſtinendæ columnam adponere: ſine dubio ad Eccleſiæ Catholicæ perennitatem, imminuto Caluiniſtarum aut numero aut poteſtate: apud Confeſſioniſtas nec timemus, nec ti-

 memur.

memur. Vos Imperium per malas artes ambiuiſtis, ac magnis iam initijs ad illud vi incæſtâ & adſpiraſtis, & alteri cuidam (noſti tu Principem) malo & tecto aſtu diadema detuliſtis; id luculenter & ex Cancellaria Anhaltina, & ex primario veſtro militari ſigno in Pragenſi pugna capto apparet, vbi hæ litteræ trabalibus notis viſebantur ETSI, cuius myſterij vel Dauus interpres ſit. EST TEMPVS SVMENDI IMPERII. Falſus Augur ſuo vaticinio perijt. Imperium ſumptum eſt, ſed alio ſenſu, à Caluiniſtis : nec tempus vllum fuit, aut erit vt Caluiniſtæ hæc gubernacula capeſſant. Dij peſtem auertite terris. Conuentionem Monacenſem per malè ſanas ſuſpiciones auctiorem ſemper reddis : nullæ tales conditiones inſertæ, & tu noſtra non vidiſti, nos veſtra vidimus, quia Pragæ reliquiſtis; potior Camerario vita fuit, cui metuebat, quàm Cancellaria, quæ tamen regno redimenda fuiſſet; etiam apud Catholicos Caluiniſtæ meliores haberentur, niſi ſe ipſi expoſuiſſent immortali probro.

Fac autem iam Camerari, quod times, futuris temporibus electum iri ſemper Catholicum Imperatorem, ſi Bauarus Dux Electoratus honore condecoretur, fac inquam, nihil inde mali patietur Orbis, adhuc à nullo alio regnatus, niſi à Catholico Cæſare. Magna omnibus in Catholico Principe fiducia, ſeu Catholici ſeu Confeſſioniſtę ſumus : Caluiniſtas in tanta poteſtate nondum experti,

neque

neque experturi: iam didicimus eos in minore potentia, regiminis impotentes; quid in ſumma fieret? aurigatio Phaëthontis omnem mundum perderet. Clauum moderatiore animo Catholici regunt; præter cætera enim norunt etiam tolerare Caluiniſtas, quos ne Caluiniſtæ quidem tolerarent, niſi eſſent.

Inſpexi ſuprà iuratam Cæſaris capitulationem, ſed nihil inuenio præter te vaniloquum, hæreditatem alterius non tranſtulit in Bauarum, quia Electoratum Palatinus vindicibus legibus amiſit, Cæſar Imperiali iure ſuũ fecit. Principem tuum quibuſdam libellis per ora vulgi admorſum fuiſſe, tanquam molientem alium ad culmẽ Imperij euehere, non neſcio; ſed & hoc ſcio teſtatum id facere litteras, veſtrâ manu exaratas. Quid hoc mali dices? Libertatis Germanicæ eſt Cæſareum faſtigium non in vna domo Auſtriacâ innecti perpetuo vinculo; plures ſunt Principes qui ad Imperium obtinendum candidam togam geſtare, atq; Electores prendere poſſint. Septemviris facultas eſt, pro arbitratu purpuram & diadema diſpenſare; imperaturus omnibus Principibus, eligi debet ex omnibus, cur piaculum ſit cogitare, quòd facere licet? Vacante Imperio Camerari cogitare & facere pro libertate antiqua licet; ſed Imperatore viuo, alium ſufficere velle, cũras ad id & neruos intendere, ciuile ſacrilegiũ eſt, & crimen læſę Maieſtatis, quo vos ipſi alligaſtis anno 1618. & ſub initium anni 1619. cùm adhuc viueret

Cæſar

Digitized by Google

Cæſar Matthias. Noſtíne porrò Principem illum Camerari, qui contemptui habuit Electionem Cæſaris Ferdinandi, & palàm ſcripſit non fore eius Imperium diuturnum? Caluiniſtæ Prophetæ ſunt; prædicere norũnt futura, ſed quę facturi ſunt; is idem omnibus votis contendit auertere Germaniæ proceres à fidelitate Cæſari Ferdinando iuranda. Hæc talia ſpargi Camerari, ſi diabolicæ calumniæ ſunt, qualia erunt veſtra facinora? Chartæ loquuntur, artes veſtrę & quidem violentæ loquuntur, quę vos agitis. Fortaſſe tuis ipſe manibus verſaſti nouum nummorum genus Norinbergæ te aut ſimili auctore cuſum, Friderico Palatino Imperium vaticinans cum hac epigraphe.

FrIDerICVs reX roManVs 1622.

FrIDerICVs IMperator aVgVſtVs 1623.

Vaniſſimi Caluiniſtarum conatus, & ipſis Diuis exoſi finem habuêre, tumente ſuperbiâ dignum: his duobus annis quibus Friderico Imperium ſpondebant, vidit vniuerſus Orbis Fridericum nec Imperatorem, nec Regem, nec Electorem: Videt extorrem, deſertum, alienâ quadrâ viuentem. Huc illum ambitio, & aliena Caluiniſtarum Conſiliariorum temeritas deduxit, æterno Mortalibus documento contentum ſuâ fortunâ viuere quemq; debere.

Superſedere Camerari potes Confeſſioniſtas admonere, vt videant quid de bulla aurea, quid de Capitulatio-

latione Cæſareâ futurum ſit. Si vobis habenæ permittantur, iam ſcimus; vos hanc abolebitis, & ferream ſubſtituetis; ferreum enim ius amatis, certe hoc ſolum vſurpare conſueſtis. Nobis Catholicis adhuc aurea bulla ſacroſancta fuit, eritq; etiam deinceps.

CONSIDERATIO V.

CAMERARIVS.

EX *Epiſtola ad Zunigam hoc quoq; patefactum myſterium*, ſemper iudicaſſe Auſtriacos, Domus Auſtriacæ, tam latè per orbem terrarum regnantis (atque adeò Hiſpaniarum Regis, quod ex inductione ibi facta apparet) fundamenta eſſe in Germania. *Neceſſariò igitur, vbi eſt potentia Hiſpanica, ibi abſolutus dominatus eſt: Vbi hic eſt, iacet Imperij libertas; ſublata eſt dignitas & præeminentia Electorum; corpus vniuerſum Imperij vni membro, nempe Auſtriacæ domui, ſubiectũ, ac veluti adſcriptitium eſt. Quid hoc autem aliud, quam* vim Imperij ſibi firmare, Imaginem antiquitatis Senatui relinquere? *ut de Tiberio ſcribit Tacitus. Certè Epiſcopus Auernanus rem acu tetigit, cum ait: Hiſpanis Inferiorem Palatinatum tenentibus, Imperatorem Germaniam, Hiſpanum Belgium, facilè in poteſtatem ſuam redacturos eſſe.*

F. A. B. I. V. S.

Ex loquaci Rhetore Camerarius repente fit Logicus Ramæâ eruditione inſignis. Ex eo quòd Cæſar ad Zunigam Hiſpanum ſcribit, fundamenta Domus Auſtriacæ eſſe in Germania, deducit neſcio quam conſequutionem dialecticam Camerarius his verbis: Neceſſariò igitur vbi eſt potentia Hiſpanica, ibi abſolutus dominatus eſt. Perinde ac ſi dicas (do familiare exemplum) in Inſtitutionibus Iuſtiniani Iuris fundamenta ſunt, neceſſariò igitur, vbi eſt Iuris potentia, ibi eſt abſoluta Iurisprudentiæ facultas. Vel, fundamenta corporis humani ſunt in pedibus, neceſſariò igitur vbi eſt potentia humana, ibi abſolutus homo eſt, atq; ita tota humanitas Camerarij in pedibus eſt, certè eius cerebrum videtur in pedibus eſſe, quia longè prudentiùs ex Bohemia fugit, quàm conſultiùs Bohemiam intrauit.

Nego ibi eſſe præcipuam potentiam alicuius regni vbi eſt eius fundamentum. Fundamenta Domus Auſtriacæ ſunt in Germania, quia in Germania eius origo, principium magnitudinis, & prouectio ad tantę potentiæ faſtigium. Demus deinde præcipuam Domus Auſtriacę potentiam eſſe in Germania, ergo præcipua potentia Hiſpanica eſt in Germania, ergo abſolutus Dominatus Hiſpanicus; Chryſippæum acumen! Quaſi ſtirps Auſtria ſolùm haberet palmites Hiſpanicos; ſuperſunt quoque in Germania ſurculi Germaniam inumbrantes,

horum

horum potentia eſt in Germania. Hiſpanus in Germania extra Belgium nec potentiam habet nec dominatum, quare aut Imperij libertati, aut dignitati Electorum non officit: nec verum eſt vni membro, nempe Domui Auſtriacę Imperium eſſe ſubiectum: Cæſari (ſiue is ex Auſtriaca, ſiue ex alia domo ſit) ſupremo capiti ſubiectum eſt. Aptè verò tanquam magnus Politicus Tacitum adfers, referre eum debebas, & tacere; maiore gloriâ tuâ neſciremus te Dialecticam non noſſe, & ſine ratione ratiocinari; quod in Caluiniſtis dedecoroſum eſt, qui ſapere ſupra cæteros mortales volunt, & nullo nomine ipſis alij ſtulti ſunt, quàm quia ipſi ſunt.

Quam rem acu tetigit Epiſcopus Auerſanus? ſi verba eius bona fide adnumeraſſes, nullum dolum ſtruere licuiſſet. Hiſpanis inferiorem Palatinatum obtinentibus, Rex Belgium & Imperator Germaniam in poteſtate ſua habituri ſunt, acu certè tetigit rem, ſed non tuam; tu de oppreſſione quadam quæ contra libertatem Imperij ſit, quaſi obtorto collo verba inflectis: Auerſanus de legitima Poteſtate Cæſaris loquitur, quanquam vos Caluiniſtæ nec hanc poteſtis ferre, auferre liberet, dummodo liceret; vnum vobis obſtat, quòd Catholici tam obſtinati ſint, vt Caluiniſtis tam pijs & Sapientibus de ſuo cedere nolint. grande nefas & morte piandum, ſi veluti pueri tam verendis ſenibus non aſſurgant. Qui iacent aſſurgant, ſed meliores.

CONSIDERATIO VI.

CAMERARIVS.

H*Inc eſt*, quod in re maximi momenti, nempe vbi de translatione primarij Electoratus Sæcularis agitur, nullo iuris ordine, ſed abſolutâ poteſtate, affectatóque dominatu, exemplo antea nunquam audito, hactenus proceſſum eſt.

FABIVS.

Increſcit magis ac magis animi dolor, erumpítq; in Chartas validius. Quinquennium Neronis abſoluit Imperator noſter, reliquos annos fædaturus tyrannide: nullo iuris ordine, abſolutâ poteſtate, affectato dominatu, inaudito exemplo in Caput præcipuum Imperij graſſatur: magna querela, mi Camerari, ſed magni Calumniatoris: Eiuſmodi hominis frontem olim ferreum Kappa igne ſignabat, quando in vile aliquod caput lingua laſciuiebat; quale geſtamen Camerari tua frons meretur, qui in ipſum Imperatorem has iniurias iacis? Iuris ordo à vobis Caluiniſtis ſeruatus non eſt: Vos regnum Bohemiæ armis paraſtis, vt intrare poſſetis; veſtro conſilio abdicatus eſt Rex legitimus, non ordine iuris tantùm, ſed nec vllo iure ſeruato. Quid iuris ordinem à nobis inuerſum cauillaris? Vos vi & armis omnia egiſtis: & meritò, vt egiſtis iuris ordine paſſi eſtis: quanquam à nobis etiam veſter ordo ſeruari (ſcis quam barbarus fuerit) potuiſſet,

Digitized by Google

ſi effrenem armorum petulantiam imitari voluiſſemus, licet enim mihi in alterum, quod alteri in me libet. Ita egerat Princeps tuus, vt audiri eum neceſſe non fuerit, bombardas ipſius audiuimus, impios ac perduelles tormentorum bombos: plura aures non deſiderauêre, & tamen à Cæſare in crimine tam aperto publicis tabulis monitus eſt; ad meliorem mentem inuitatus; minis ac pœnarum denuntiatione ſollicitatus, ac ni pareret certos intra dies, more & lege Imperij in pœnas banni declaratus. Quid fecit Palatinus? quod peruicaces ac contumaces ſolent: non cœperat veſaniam ſuam, vt ad Imperium magiſtratus ſui finiret. Ergo Cæſar noxium membrum ab Imperio vltima ſententia poſt euentualem vt loquuntur purificatum excidit, vt quia perire volebat, extra Corpus periret; neq; in hoc poteſtatem aut dominatum vllum affectauit; ex ſupremo ſuo munere id iuris habuit, vt ſontem plecteret. Sed exemplum inauditum eſt Camerario! inauditum ipſius & Principis ſui factum fuiſſe debuit. Noua quædam facinora, noua pœnarum exempla pariunt, nec tam nouum quid hic aut inauditum à Cæſare commiſſum, nam ex legibus Imperij Palatinus pœnas ſoluit, nec mihi perſuadere poſſum Camerario tam parum memoriæ eſſe, vt non recordetur ſimilis exempli (domeſticum quod ſæculum ab hinc retrò tertiũ vidit, aliáq; omitto) in Saxonum Duce Friderico, quem Cæſar Carolus V. Electoratu & Prouinciâ deiecit. ſed de hoc infra.

CAMERARIVS.

Leges fundamentales Imperij, Aurea Bulla, & Cæſarea capitulatio ſanciunt; vt præcipua Imperij membra, & baſes eius atque columnæ, Electores, maxime ſæculares, inconcuſſæ maneant. *Cæſar ante Electionem ſuam iurat, ſe Electores in ſuo ſtatu, dignitate ac præeminentia, omnibus modis conſeruaturum eſſe; In re arduâ ſine Electorum conſilio, & ſcitu nihil ſe agere velle: Nulli ex Statibus, etiam infimo, nedum Electori primario, violentiam nullam inferre: aut alijs vt hoc faciant, permittere, ſub quocunq; colore ac prætextu: Sed ſi vel ipſe, vel alij, rem aduerſus aliquem habuerint, hoſtilitate omni remotâ ordinario iudicio experiundum eſſe. Et ipſe Cæſar, vbi in cauſis priuatis forum ſortiatur, cùm in Aurea Bulla, tum in antiquis Germanorum legibus, expreſſum eſt.* Ne comitatus quidem aut alia feuda ad Imperiū deuoluta alijs largiri poteſt. *Atque hîc in primario & vetuſtiſsimo Electoratu alij donando, exercetur liberalitas.*

FABIVS.

Ad calumnias tuas inumbrandas leges à Cæſare læſas recitas, & primam quidem ex art. 3. Capitulationis Cæſareæ, quâ ſancitur, vt præcipua Imperij membra, & baſes

baſes eius atq; columnæ Electores maximè ſæculares, inconcuſſæ maneant. Ita quidem tu recitas, ſed aliter articulus, *Debemus*, (ait Imperator) *& volumus Germanicam nationem, S. Rom. Imperium, Electores (tanquam illius præcipua membra) alios etiam Principes, Comites, Barones, & Ordines, apud eorundem dignitates, Iura, Iuriſdictiones, Potentiam & Poteſtatem, iuxta cuiuſuis ſtatum ſartos tectosq́; conſeruare*, &c. Ex quibus verbis lector intelligit primò, te Cæſaris iurata verba auxiſſe, nam cùm Electores nominat à ſe defendendos, non addit, maximè ſæculares, ſed tu addis; aut ad aliquam ſaltem maiorem commiſerationem mouendam Palatino proſcripto, aut ad augendam Cæſaris inuidiam, qui maiore Religione tenebatur ſartum tectumq́; conſeruare principem ſæcularē, quàm Eccleſiaſticū, ne violaret immunitatem ſæcularem, quæ fortaſſe, vt ſic loquar, proprium titulum habet in Iure Caluiniſtico, ſicut in Canonico immunitas Eccleſiaſtica habet. Electores, mi Camerari, ſeu Eccleſiaſtici, ſeu Sæculares eodem iure gaudent; vtriſq; tutela Cæſaris debetur, ſed & vtriq; obſeruantiam Cæſari debent, quâ ſemel ruptâ, ſiue prophanâ ſiue ſacrâ manu, rumpitur & nexus Cæſareæ obligationis. At hoc loco tibi debeo, Camerari, ob officium quod mihi præſtas, ſufficis enim argumentum, quod me fugiſſet. Aurea, vt intelligo, bulla,

Ele-

Electorum ſaluti maximè cauet, ad eoſq; tutandos adigitur Cæſar ſacramento. Rectè, mi vir; ſi iſtud ſciebatis, quid fuit, vt Bohemum Electorem armis inuaderetis, ac regno exueretis? Neſciebatis iuxta Cæſarem ex lege Electoralis iniuriæ vindicem eſſe? Cæſar iure Regem Bohemiæ contra fas ſpoliatum tanquam imperij Septemvirum defendit. At idem Princeps Cæſar & Septemvir eſt: parùm hoc ad rem Camerari; Cæſar Regem defendere poteſt, & Rex Cæſarem; Qui duas perſonas ſuſtinet, neutrius priuilegium amittit: potuit defendi Rex Bohemiæ ab alio Cæſare, cur non & ab iſto?

Hoc mihi minimum dandum erit, dicet Camerarius, ſponſum à Cæſare in re arduâ nihil ſe agere velle abſq; Electorum conſilio & ſcitu. Sit ita, mi Camerari; rectè mones harum rerum memores: factum hoc Mülhuſij Thuringorum, cùm ob id ipſum Electores cætum facerent: Conſilium Imperatori hoc ab ijs datum; ſi ambitioſâ Palatinus amentiâ non abſiſteret, Cæſar aduerſus illum tanquam publicæ pacis turbatorem ex Imperij legibus ageret. Eum in finem ex hoc ipſo Conuentu ad Palatinum Septemviri litteras dedere, plenas curâ, & auertendi periculi ſollicitudine. Fruſtra; legere illas oculi cupiditate velut glaucomate obducti non potuêre. Poſtulas alium Conuentum, Camerari? Cęſar etiam alium edicturus erat, ſi Caluiniana Furia bellum non præcipitaſſet aut finiſſet.

Dein-

Deinde cùm Cæſar promittit Electores ſe conſeruaturum ſartos ac tectos, eâ lege promittit, vt & ipſe aliiq; viciſſim ſarti ac tecti ab ipſis ſinantur. Quòd ſi Elector quiſpiam eat perditum Cæſarem, ritè ac ordine ibit Cæſar perditum illum; tuus ſanè hac cauſâ Princeps perijt. Qui leges inuiolatas cupit, ſeruet. Palatinum Cæſar de ſua dignitate non pręcipitauit, ſed eius facta; neq; pœnā intulit Cęſar Electori, ſed rebelli: Electoris eſt Cęſarem facere, non perdere. Porrò intelligit Lector te fruſtra obtendere art. 25. Capitul. nam tametſi ſpondeat Cęſar nullam ſe violentiam illaturum Electoribus, idcirco læſę legis iuratę reus eſt. Violentis Electoribus nihil ſpopondit, tuum autem Principem non eſſe vſum violentiâ, negabunt tot innocentum funera, tot ciuitates euerſæ, tot terrę vaſtatę, quæ omnis memorię poſteri lugebunt & nullâ vnquam pœnâ expiabuntur. Sed Cæſar, dicis, bello poſthabito aliter recuperare ſua poterat; Iudicio aut arbitrio lis finienda fuiſſet. Mi homo, víſne vt me legibus in toga defendam, quando tu ſago inſanus calamum mihi armis excutis, & ante ſententiam id facis, de quo me litigare cupis? Quæ eſt iſta Iuris æquitas, meum mihi rapere, & ne eâdem vi repetam ad tribunal prouocare? Sed facilè aduerto quod tribunal tu appelles, ais enim: *Et ipſe Cæſar, vbi in cauſis priuatis forum ſortiatur; cùm in aurea bulla, tum in antiquis Germanorum* (citari deberent) *legibus expreſſum eſt.* Lupum auri-

bus tenemus; ſceptro tuo ſubiectum Cęſarem cuperes ad ius audiendum; Aureę Bullę verba hęc ſunt: *Et quamuis Imperator, ſiue Rex Romanorum, ſuper cauſis pro quibus impeditus fuerit, habeat (ſicut ex conſuetudine introductum dicitur) coram Comite Palatino Rheni, Sacri Imperij Archidapifero, Electore Principe reſpondere, illud tamen iudicium Comes ipſe Palatinus non alibi præterquam in Imperiali Curia, vbi Imperator, ſeu Romanorum Rex præſens exſtiterit, poterit exercere.* Lepidus homo es Camerari, qui hunc Iuris ordinem Cęſari ſeruandum deſignas, in rebellione Regni aduerſus Cęſarem conſpirantis; in rebellione cuius pars maxima is ipſus qui Iudicē ſe iactat, in rebellione ac lite, in qua vos Caluiniſtę exequuti eſtis ſententiam, antequam diceretur. Et quia tam religioſè obſeruans Aureę Bullę es, & iudicio contendere placet; cur tam vecors fuiſti, cùm tu, tuuſq; Princeps ex prærogatiua Bullæ efferrebamini tantâ in Cæſarem iudiciariâ poteſtate, vt iuris ac moris obliti ius veſtrum non exciperetis, contra Imperatorium mandatum, quâ læſę Maieſtatis rei ad Cæſareum tribunal acцерſebamini? cur Viennam non eſtis profecti, túq; Dominúſq; tuus ad aulam Cæſaris, ad ſtatutum lege forum, & Cęſarem in ius vocaſtis? Imò verò iuiſtis Viennam, cauſamq; egiſtis accuſatione iaculatoriâ, magno cum tonitru

nitru non verba, ſed pilas mittendo in ipſum ſacroſanctum Cæſaris cubiculum. Hic ſceleratus vobis Iuris ordo fuit. Habeat ſanè Cæſar ſuum Iudicem, cùm aut iniuriæ aut damni apud alios auctor eſt, ſed cùm ipſe iniurias perpetitur, non habet alium Iudicem, à quo audire debeat iniuſta ſe pati, Iudex ipſe illius eſt, à quo violatur, ſeu is, ſeu alius, ſeu Elector ſit. Non enim Electores priuilegium habent ad nocendum impunè Cæſari; priuilegium habent ad Cæſaris Maieſtatem tuendam. Iuuat verò diutius ad tribunal æqui Iudicis ſiſtere, & Camerariũ ad examen vocare, an à condita Caroli Bulla, vel vnus Imperator in Palatini iudicium venerit? Proferat exemplum; ſi nullum extat cur hoc tempore primùm noua Curia ſtruenda, pro Palatino Iudice ob malefacta iudicando? O quanto vos Caluiniſtę deſiderio cancellis veſtris coërceretis Imperatoriam Maieſtatem; vt pro libidine omnia verſaretis! non abſimiles illi puero glorianti omnem Ciuitatem velle quę ipſe vellet; aiebat enim, quę ego volo, mater vult; quæ mater vult, pater vult; quæ pater vult, omnis Ciuitas vult. Gyro eiuſmodi delectantur Caluiniſtæ. Quæ ipſi volunt, hoc volunt Cæſarem velle, vt & Imperiũ velit, quæ ipſi volunt; tantùm obſtat, quòd voluntatem Cæſar ſuam Caluiniſticæ non accommodet, voto viueretur vno, ſed peſſimo.

Secedamus parumper; Camerarius ex art. 28. catapultam adducit, quâ Cęſareas partes penitus profligat.

Digitized by Google

Ne Comitatus quidem, ait Camerarius, *aut alia feuda ad Imperium deuoluta alijs largiri* (Cæſar) *poteſt*. Redintegremus truncatam Cęſaris ſponſionē; ita habet articulus nominatus. *Sin etiam noſtro Imperij tempore, feuda inſignia vacabunt; vtpote Principatus, Comitatus, Dominia, Ciuitates &c. illas nemini alij concedemus, ſed ad ſubſidium S. Rom. Imperij noſtri, Noſtrorúmq; ſucceſſorum, Romanorum Regum & Imperatorum, tamdiu retinebimus, donec Imperium iſtud iterum ad ſuum eſſe, & incrementum perueniat; citra tamen noſtrum, noſtrarúmque hæreditariarum prouinciarum, & alterius cuiusdam Iuris damnum atq; detrimentum.* Hæc articulus iſte, quem tui digiti, ſemper ambigui, pro more conſpurcarunt: Vt Cæſaris factum grandeſcat dicis vetitum ei eſſe feuda ad Imperium deuoluta alijs permittere. Accipio primò tuum ferrum & te ſaucio. Si Cęſar feudum commiſſum alteri conferre non poteſt, ſed ſibi retinere iuramento compellitur; ergo Palatinatus feudum, quod Palatinus ſuo & tuo crimine amiſit, tanquam commiſſum, neq; vobis reſtituere poteſt. Deinde articulus tuus de feudis ad Electoralem dignitatem pertinentibus nec agit, nec capiendus eſt ab illo qui aliquid capit, quid enim cenſes Camerari? putare tu potes Imperij Electores voluiſſe Cæſarem iurare, quod ipſi fieri

no-

nolunt? Ego certè non arbitror, nam ne neſcius ſis, ſi Palatinatũ vt ſuum Cæſar poſſidere tentaret, ne ipſi quidem Electores id permitterent, quomodo ergo cum iuramento cogerent, vt illum ſibi retineret? Víſne tu vt Cæſar hodie loco Palatini in Comitijs ſuffragetur? Cras fortaſſe interibit alia Electorum familia, idcircóne nouus Elector Cæſar iterum? Septemviratus Imperij æternus eſt, nec mutabitur, niſi Imperium mutetur. Porrò articulus tuus de feudis illis agit, quæ ſtirpe fato extinctâ, ad Imperatorem poſſeſſore deſerta redeunt, ex quo genere non eſt feudum Palatinatus, multi enim ex inclyta Palatinorũ proſapia adhuc ſuperſunt. Feuda, quæ committuntur, & crimine læſę Maieſtatis, & crimine in feudi Dominũ patrato, in Domini manus poteſtatémq; reſignantur, ex vulgata Iuris-peritorũ ſententia, iuxta quam, neque ipſi Innocentię vllum patrocinium eſt, liberaliter feuda & gratis dantur, ingratis auferuntur, haud iniuriâ. Cęterùm in hac rerũ ſorte, etſi iure humano Cæſar quod ſuum poſtliminiò fecit, diſpenſare pro arbitratu poſſit, æquitatis tamen naturalis eſt, gentilitia alicuius Domus decora, in familias ſanguine ſegregatas haudquaquam migrare, præſertim quando in Domo illa ſunt ita meriti, vt illorum fortibus factis, ſuſceptíſque pro Cæſare periculis deberentur, etiamſi ex ſtirpe Palatina non eſſent. Ex his principem tenere locum Sereniſſimum MAXIMILIANVM Bauariæ Principem tot victorijs inclytum, tótque rebus pro Cæſare geſtis clarum Ducem, iam

Digitized by Google

etiam alter Orbis non neſcit. Atque hanc eſſe articuli 28. mentem ipſa Cæſaris verba declarant, cùm dicit, *citra tamen Noſtrum, noſtrarúmq; hæreditariarum Prouinciarum, & alterius cuiusdam iuris damnũ.* Et quod hoc ius oro te, quod Cæſar è iuramento ſuo eximit? illud eſt, quo rebellem & iure proſcriptum fortunis ſpoliat; hoc ſpolium certè hoſti detractum ad arbitrium tribuere alijs poteſt, iuramento incolumi. Quare Cæſar (donando primarium Electoratum Bauaro) liberalis eſſe potuit, Camerari, ſed de ſuo, quia veſtra, rapiendo aliena, feciſtis aliena.

Iactura eſt, quidquid cupidâ quæſiueris arte.

CAMERARIVS.

Non hîc iudicio aut legibus locus: non Electoralis collegij Conſilium petitur, aut conſenſus exſpectatur: ſed Electores omnino prætereuntur.

FABIVS.

Sciebam poſt calumniarum tonitrua ſequuturum imbrē Camerari; lacrimaris enim quòd nullus locus apud Catholicos ſit iudicio aut legibus: non eo inficias, vt te flentem ſoler, Camerari, legibus apud vos nullum locum eſſe, quia leges ſuſtuliſtis. Arma non Codicem aduerſus Cæſarem miſiſtis. Mars vobis ſententiam dixit, quid ni & nobis diceret? ſed ab Electoribus non eſt conſilium petitum; falſum eſt, quoad licuit petitum eſt; at conſen-

ſus

ſus non eſt exſpectatus; falſum eſt, exſpectatus eſt, tametſi non omnes dederint, nec eo modo quo tu vis, neceſſe erat. Et præteriti non ſunt Electores, quippe eâ de re ad conuentum vocati, ſed per ipſos & certas, quas adferebant cauſas, ſtetit ne cöirent. Putas verò tu neceſſarium eſſe conſilium aut conſenſum Electorũ (cum moram periculum non admittit, & Electores ipſi impium factũ damnant) in re ſole clariore? Quid conſilio opus eſt Iudici, quando lex indubitata, & ipſe Orbis teſtis eſt facinoris? Lex conſilio lata eſt, conſilio exerceri ſemper non debet, conſilio potiùs opus eſſet, ſi intermitteretur. Quem Senatum Electorum Carolus V. coëgit Ratisponæ, cùm proſcriberet Schmalcaldici belli Duces? quos in conſilium vocauit cùm eandem proſcriptionem in Landishutanis caſtris ſeditioſorum Fecialibus ad Principes ſuos deferendam tradidit? Sed de Carolo Saxonéque infrà. Audiamus te porrò quiritantem.

CAMERARIVS.

De Saxone verò (cui tamen Zelus in Conſtitutionibus Imperij conſeruandis tribuitur) apertè oſtenditur, Re non ampliùs integrâ, ſed iam confectâ, nihil aduerſi ab eo metuendum eſſe. *Sanè Pontificius Nuncius Viennæ, magis hoc confirmans, de Sereniſſimo Electore Saxoniæ, adeò contemptim loquitur, vt voluerimus verba eius hîc inſerere.*

FA-

FABIVS.

Fruſtra laboras vt aliorum inuidiâ Saxonem tibi concilies, longè peiora tu de eo ſcripſiſti; Potiſſimùm verò (vt ea omittam, quæ nuper de Electione Francofurdiana lamentabaris) in protocollo quodam Heidelbergæ in Cancellaria reperto, in quo Saxo Elector tam indignè vapulat, vt aures honeſtæ exſurdeſcant, ſed Caluiniſtis conſuetum eſt aliorum famam lacerare, ne ſoli non habeant integram. Nec mirum eſt, externum hominem, & in Religione à Proteſtantibus diſſentientem non tam honorificè de Saxone loqui, quàm nos Germani ſcimus meritum, & aliàs, & hoc potiſſimùm bello, quo Cæſari iniuſtè appetito armis, poſthabitis etiam ſuis periculis, ſuppetias tulit: Quanquam ſi verba Nuntij Apoſtolici rectè explices Saxonem potiùs deprædicant; *Che*, inquit, *non è Principe di Spirito*; quaſi diceret; pacis amantem principem, non eſſe illi Spiritū tumentem ac ſuperbiâ elatū, quo turbas præ pace malit, quales Caluiniſtæ ſpiritus gerunt. Quòd ſi hanc iniuriam æſtimas, eandem ei, vos feciſtis in veſtro protocollo, & quidem cum acerbiſſimis commentis.

CAMERARIVS.

Tam nihili hæc cauſa ducitur, quam tamen Summum Imperij, *Bellum nimirum ac pacem*, concernere; *ne ipſe quidem Cæſar diffitetur in primâ Reſo-*

Reſolutione D. Baroni Dygbyo Regis Magnæ Britanniæ Legato, datâ. Et tamen Electorum Collegium negligitur, paci bellum præfertur. Sic tota Reſpublica Germanica conquaſſata, & compagibus ſuis diſſoluta, ad certam ruinam impulſa, niſi Deus prohibet breui collapſura eſt.

F A B I V S.

Veſtra audacia facta, & turbatum armis Imperium magni duximus Camerari, atque idcirco pariter armis vſi ſumus, vt ſua pax Imperio reſtitueretur. Reorum damnatio tanti momenti non eſt; cùm enim & de facinoribus, & de pœna legibus conſtituta, toti Mundo conſtet, nihil ardui occurrit, vti Senatus Imperij propterea expectandus videatur, quanquam & is conſultus eſt. Conſultus eſt, inquies, ſed nihil delatum ipſius ſententiæ: imò verò Camerari, plurium ſententiæ delatum eſt, & illi ipſi, qui vobis volebant parſum, meruiſſe non diffitentur, cùm factis approbârint. Et quî tu audes mi Vir, queſtû edere, quòd in Electorum ſententiam itum non ſit? Nonnè Saxo & Electores Catholici veſtram cauſam damnârunt, ac publicis litteris à rebellione dehortati ſunt? paruiſtiſne? Vóſne Cæſarem compelletis, vt Septemviro huic aut illi pareat, & Septemvirorum ſenatus auctoritatem flocci feciſtis? Paci hoc tempore, vti tu luges, bellum præfertur, quia vos bellum geſſiſtis ne pax

eſſet: quòd iam quieſcatis, non id pacis amor facit, ſed vires vindice ferro afflictæ. Ægri lectis ſe continent, ſurrecturi ſi valerent. Caluiniſtę nunquã pacem inclamant, cùm vincunt, nunc victi, poſtulant, poſtulare debebant vincendi. Rempublicam Germanicam conquaſſatam fuiſſe per hæc ciuilia bella non neſcimus, conquaſſauit eam motus Caluiniſticus, quo virtute Ducum noſtrorũ deſito, facilè rurſus ſuis compagibus iungetur, nec ad vllã deinceps ruinam impelletur, ſtante feliciſſimo Cæſare, ac fortiſſimis Principibus, Reipublicæ columnis. Ruant & eruant Caluiniſtæ, quorum oculos ægreſcere iubeo, quia ruinam Germaniæ nunquam ſpectabunt, quanquam ruinam in Germania ſpectant, ſed ſuam.

CONSIDERATIO VII^ma^

CAMERARIVS.

P*Orrò, quòd Imperio, eiusq́; Columnis, Electoribus, imprimis noxium & præiudicale eſt*, Regis Hiſpaniarum conſenſus potiſſimùm expetitur; Regis externi, in negotio, quod ipſum fundamentũ Imperij tangit, an euertit? *Quid hîc tandem aliud exſpectandum, quàm vt, quemadmodum de Regno Bohemiæ nuper factum, ita etiam de Imperij ipſius ſucceßione, pacta cum Hiſpaniarum Rege ineantur?*

FA-

F A B I V S.

Quia Cæſar in translatione Palatinatus conſentientem cum ſua voluntate Hiſpanum Regem voluit, id Imperio cenſet Camerarius noxium, noxius ipſe. Sed quid externo Regi cum Imperio? imperij nihil, mi homo, ſed auxilij ſubinde ad veſtram veſaniam compeſcendam; neque euertitur per externas opes Imperium (ſi tamen Hiſpanus externus dicendus eſt, Dux Burgundiæ ex præcipuis Imperij membris) ſed vos euerſores euertimini. Placet autem mihi quòd exitioſas rixas, quarum vos auctores, fundamentum Imperij attingere affirmes, quia reuerà omnia ſtudia veſtra ad fundamenta Imperij conuellenda collimârunt; imò verò conuulſa iam pars erat; ne reliqua conciderent, Deus nefarijs auſibus obſtitit; & iam propè redintegrata omnia cernimus, ſtrataque rurſus, ſed veſtris funeribus cadauerúmq; aceruis; aliter fieri non potuit, vobis aliter non facientibus.

C A M E R A R I V S.

Certè ab hac translatione Palatinatus in Bauarum, etiam Imperialis culminis certitudinẽ Domui Auſtriacæ in perpetuum firmari ſtatuitur: ſed ratam illam eſſe non poſſe, Niſi aſſentiatur Rex Hiſpanus, & ſuis opibus viribúſque hanc translationem defendat ac propugnet.

FABIVS.

Firmabitur, mi Camerari, Imperium Caluiniſtis ſub iugum miſſis, ſiue Electores Auſtriacis, ſiue alteri Patriæ Patri, non hoſti deferant. Proteſtantes certè pœnitere non debet Imperij Auſtriaci, quid enim ipſis ab hac gente mali vlrrò illati? ipſi alienum duntaxat Martem propulsârunt ad hunc diem, & ideo credo vicerunt, quia bella noluerunt. Vbi autem in Epiſtola Cæſaris (quam hîc N. 19. deſignas) verba hæc? Translationem Electoratus ratam eſſe non poſſe, niſi aſſentiatur Rex Hiſpanus, & ſuis opibus viribúſque eam defendat ac propugnet. Induſtriam meam ſuperas Camerari; ego nihil reperio, tu vt reperias comminiſceris. Nuſquam à Cæſare ſcriptum aio, non poſſe translationem hanc ratam eſſe, niſi Hiſpanus aſſentiatur, Cæſarea Maieſtas alienâ maieſtate non fulcitur. Ratum eſt, quod Cæſar legitimè facit; neque verò, qui conſilium aut auxilium ad arduum negocium conficiendum expoſcit, auctoritatem alienam expoſcit; poſſum ego, vt ratum ſit, meâ ſolîus poteſtate ac voluntate, multa facere, ſed non omnia commodè abſque aliena. Non petitur regis Hiſpani conſenſus, vt translatio valeat, ſed vt perduret contra tot Caluiniſtarum haſtas, quæ haud facilè, etiam magnis cladibus hebetatæ franguntur.

CAMERARIVS.

Nolumus hîc texere ſequelas, quæ Imperij Maieſtati,

Digitized by Google

ieſtati, libertati ac Saluti, hinc timendæ. Vniuscuiusq; accuratior conſideratio, illas abunde ſuppeditabit, ex fide erga patriam rem diligentiùs perpendenti.

FABIVS.

Ex aſſenſu Regis Hiſpaniæ, iubet Camerarius alios ſequelas texere; diffiſus ipſe ſine periculo Dialecticæ offendendæ deducere & texere quidquam, Sed coniecto quas ſequelas intelligat; *Imperij Maieſtati hinc timendum, libertati ac ſaluti timendum.* Quis hîc metus Maieſtatis? an Cæſarea Maieſtas minuitur per aſſenſum & auxilium Hiſpani? Imò ex hoc creſcet Maieſtas Imperatoris, cognatis enim opibus adiutus, oſtendet Cæſar turbatoribus Imperij ſupereſſe Cęſarem; oſtendet gladiũ non ornamentũ tantùm dexteræ, ſed & vindicem. Neq; infra Maieſtatem Imperatoriam eſt, aliena ſubſidia circumſpicere, quando ab ijs hoſtiliter obſidetur, à quibus iure naturæ, iure diuino, iure humano protegi debebat. Vos Caluiniſtæ rerũ ac naturæ ordinẽ vertitis, quid mirũ ſi & Cæſar vertat? Si vetus obſeruantia, ſi priſcus reſpectus, ſi antiqua Principum reuerentia in Cæſarem vigeret, ſtaret ſuo pondere Maieſtas Imperatoris inconcuſſa. Labefactantibus verò ſubinde tot domeſticis hoſtibus tanti faſtigij culmen, ne magnâ ruinâ cum exitio innocentum trahatur in præceps, exteris ſublicijs (ſi alia deſint

Digitized by Google

ſint auxilia) fulciendum eſt. Si hoc dedecus eſt, Camerarij ac ſimilium Caluiniſtarum eſt, Cæſareę Maieſtatis proditorum ac deſertorum eſt; hoc eſt, veſtrum. Neq; hæ ſuppetię externę libertatem Imperij tollunt, ſed intolerabilem Caluiniſtarum licentiam: Omnem libidinem animi veſtri, petulantiam morum veſtrorum, honeſto libertatis nomine obnubilatis. Libertas in Imperio ſit, etiam me arbitrante, ſed ſuis legibus ac metis concluſa, quas ſi excurrit, libertas non eſt, ſed inſania. Quid vos libertatem obtenditis facinoribus? In gyrum & caueam Cęſarem compingere ſedet, vt in poteſtate ſit veſtra, ne vos ſitis in illius. Ita pedes capiti imperant, vt ambulet. Ambulabit, ſed in pænas, quas meruiſtis; iam iter incepit; Caue Camerari, viatorem mittet.

CAMERARIVS.

Imperator ab Electoribus Imperio, ceu Tutor ac parens conſtituitur, præficitur. Huius igitur ſalus & incolumitas Suprema Lex *eſſe debet: aut mutatur in aliam formam Reſpublica. Columnis conuulſis tota machina corruat neceſſe eſt.*

FABIVS.

Si vnquam Camerari verè ſcripſiſti, iam ſcribis; ſine dubio Imperator tanquam Parens præficitur, &

ideo

ideo turpius eſt veſtrum flagitium, quòd à perditis ſpurijs tam indignè tractetur. Si huius Imperij ſalus atque incolumitas ſuprema vobis lex eſt, & tamen à vobis contempta eſt, quęſo, quam legem ſeruatis? ſi ſuprema pro nihilo eſt, poſtrema quo loco erit? Exleges Caluiniſtæ ſunt; Diuinas, ipſiſmet teſtibus, ſeruare non poſſunt, humanas non volunt. Vitam quæ faciunt beatiorem, hęc ſunt. Sed quia confiteris Imperatorem debere eſſe incolumem, cur tu tuíque ei exitium ſtruxiſtis? Hæcne apud Caluiniſtas medicina eſt, armis aliquem perſequi, vt valeat? Pharmaca non facies Pharmacopola mihi. Columnis, ais, conuulſis tota machina corruat neceſſe eſt. Non nego, ſed cur vos ſupremam columnam concuſſiſtis? concuſſiſtis inquam, non deieciſtis, ſed Deus columnam hæreſi Caluinianâ, tanquam carie, exeſam deiecit, ne ſupremam impelleret, atque vti validior firmiórque in eius locum ſubſtitueretur: ita Imperium nos non conuulſimus, ſed noua eidem ad perpetuitatem fundamenta locauimus.

CAMERARIVS.

Si externi Principis tutelâ opus, Caput ipſum nimis imbecillum eſt, Diuerſa etiam ſunt Cæſareũ Imperiiq; iura, & priuata domus emolumenta & magnitudo.

FA-

FABIVS.

Ne hebes videatur Camerarius paulò ſubtiliùs philoſophatur; ſi externi Principis tutela opus eſt, ait, caput ipſum nimis imbecillum eſt, oportebat dicere, propter tot valentes Encelados, qui etiam Ioui fulminanti bellũ indicunt. Si vos Caluiniſtæ legitimo Domino veſtro obtemperaretis, ſi obſeruare magiſtratum, quàm gerere malletis, ſi opem ex debito conferre ad Cæſarem tuendum decerneretis, flagitatione externi ſubſidij ſuperſedere poſſet Imperator. Vos caput imbecillum redditis, pro amicis hoſtes, pro fidelibus rebelles, pro ſubditis Reges. Et verò noui quid nos doces, cùm ais, diuerſa eſſe Imperatoris ac priuatæ Domus iura ac emolumenta? Scio me intelligere quid velis, Cæſarem nempe oportere priuatum Domus ſuæ regnum Bohemiæ, fluctibus committere, vt Imperium contra procellas defendat. Deinde vis nos credere vobis nihil belli eſſe cum Cæſare, ſed cum Principe ex Auſtria Domo. Intelligo acutos Sophiſtas, ſed nunquam diſcriminabunt Archiducem hunc à Cæſare. Bohemia Cæſaris eſt, quocunq; nomine tandem ad eum deuoluta. Quaſi verò non pertineret ad Cæſarem, quæ aut hæreditate aut electione obtinet? Paria faciamus & pariter acuti ſimus. Eum qui Bohemiam inuaſit, eiecimus, proſcripſimus, & prouincijs exuimus. Si Palatino inde quid incommodi accidat, æquo animo ſit, aut ſegreget Vſurpatorem regni à Palatino, in Vſurpatorẽ ſola noſtra vindicta pertinuit.

CA-

CAMERARIVS.

Sed hæc paucis tantùm attigiſſe ſufficiat. Curioſi tamen etiam hoc animaduertant: Ne Regis quidem Hiſpaniarum conſilium in hoc translationis negotio à principio petitum, re adhuc integrâ, ſed facta iam promiſſione, & conceſsâ inueſtiturâ Palatinatus Bauaro. *Tum enim primùm perlata res eſt ad Regem Hiſpaniæ, per Cappuccinum, vt videre eſt ex Epiſtolio ad Hyacinthum.*

FABIVS.

Sapientiùs omnino non attigiſſes omnia Camerari, quàm paucis, & ad curioſitatem hîc inuitas lectorem, vt te ſtulteſcere obſeruet, ſuprà querebaris externi Regis aſſenſum fuiſſe expetitum: hîc aduertere iubes, ne Regis quidem Hiſpani re adhuc integrâ conſilium petitũ. Aduerto quod iubes Camerari, ſed aduerto te tecum pugnare, & fruſtra ſuprà protuliſſe lamenta præ indignitate, quòd in rebus Imperij Hiſpani voluntas exploraretur. Ignoſco erranti in cogitatis tuis, errâſti ſæpe in rebus, quę te merſerunt.

CAMERARIVS.

Hinc illa etiam ad ipſam Infantem *diſsimulata, & ad* Marchionem Spinolam: *vt litteræ ad illos ſcriptæ demonſtrant:* Ne auxilijs Hiſpanicis interim carendum eſſet. *Sic nempe ipſe Rex Hiſpa-*

P *nia-*

niarum, quamuis inſcius, ſuis opibus ac periculis, Palatinatum Bauaro acquirere debet.

FABIVS.

Et quid ſi ab Infante quoq; aut Spinola conſilium poſtulatum fuiſſet? nónne geminaſſes querelas? Nec conſilium externum, nec opes externas ferre potes, contentus domeſticâ potentiâ, vt eam ſceleſtis facinoribus tutiùs opprimas. Si Imperator, ſi alij Principes ſubſidiũ quæſiuere extra Imperium, quæſiuêre apud ſuos, apud ſanguine iunctos, apud Chriſtianos, imò apud Imperij Principes. Vos Caluiniſtæ inuocâſtis Turcas, exſpectâſtis Tartaros, etiam Acheronta moturi. Nos opem implorauimus ad vim propulſandam, vos per omnes terras concitâſtis gentes ad Patriæ ruinam, & maluiſtis multa perdere, modò nos nihil retineremus. Valde, credo, te miſeret Hiſpani, quod inſcius per alienam ſimulationẽ, ſuis pecunijs Palatinatum Bauaro acquirat. In Palatinatum armis Hiſpanus ingreſſus eſt, vt aut Principem tuum à Bohemia auerteret, aut talionem tantis tuorum meritis redderet, atq; inuicem occuparet Palatinatum, ſi alter Bohemiam occuparet. Bellum geſſit ne cognato Cæſari veſtris armis obſeſſo deeſſet, non vt Bauaro Palatinatum acquireret. Neque enim in Hiſpani manu eſt, Prouincias Germaniæ alijs donare, Bauarus ſi quid habet, à Cæſare habet, tanquam militaris operę præmium. Quo in genere, non diffiteor etiam tibi debet, nam niſi tuis

con-

conſilijs ſua Palatinus amiſiſſet, Bauarus nihil acquireret.

CAMERARIVS.

Sed cur Pontifex Romanus huic illum malit accedere quàm Hiſpano, inquirant alij. An quia nimiam potentiam Hiſpani ipſe Pontifex metuit? Sed iam propoſitâ diuiſione inter Hiſpanum & Bauarum, Religionis tantùm Pontificiæ ſcopum obtinere cupiunt, vt liquet ex Epiſtolis Nuncij Viennenſis.

FABIVS.

De qua diuiſione tu hîc ſomnia narras? quis diuiſit quidpiam Hiſpanum inter & Bauarum? An illi ipſi diuiſores? quâ in re? an belli operam diuiſam, an quid aliud putas? ſi belli operam; diuiſa illa fuit, ſed à Cæſare, non ab Hiſpano & Bauaro; ſi quid aliud, nomina. Bauarus meriti causâ Electoratum accepit; & quidem indiuiſum; Hiſpanum ex Germania nihil video exportaſſe præter crumenam bello euacuatam. Loca quæ hodie adhuc in Palatinatu præſidijs obtinet, Cæſaris loco obtinet; nec in Germaniam venit, vt aliud quæreret, quàm quod vos ſublegeratis. Sed heus tu, quanto tempore ſeu Procuratorem, ſeu Exploratorem aluiſtis Romæ, & Romanum conſilium adhuc neſcitis? Cùm tu Regem Hiſpaniæ inter exteros numeres, & Electoratus Principi in Imperio debeatur, cur Pontifex in Bauarum transferri dignitatem

hanc malit, facilè aduertis. Hiſpanum tu amas ſicut Bauarum; vterq; Catholicus eſt, quod tibi cor exedit; neutrius expectant Caluiniſtę fauorem, ſed nec illi experti ſunt veſtrum. Religionis, inquis, tantùm Pontificiæ ſcopum obtinere cupiunt; ego verò aio, ipſos obtinere cupere pacem, quæ nulla eſſe poteſt, niſi è medio ſubmotis eius turbatoribus, è quibus tu vnus, aliàs non fugiſſes.

Conſcia mens ſceleris, pedibus ſcelus eſſe fatetur.

CONSIDERATIO. VIII^a.

CAMERARIVS.

V*Idimus primarium ſcopum & finem in Translatione Palatinatus, Propagationem videlicet Papatus, & Hæreticorum exſtirpationem. Videamus etiam nunc alios ſecundarios, ſed paucis. Nam multis hoc tempore & loco non licet.*

FABIVS.

Quid tu videris, ipſe nôſti, lector nihil vidit præter tuam vafritiem Caluiniſticam: noſtrorum armorum finis pax fuit, & ſalus noſtra, quam vos bello appetiuiſtis; ſecundarij ſcopi, vt tu loqueris, eiuſdem farinæ erunt, cuius primarius fuit, ſed contemplemur illos breuiter tuâ causâ, quia multis, vt tu dicis, hoc tempore triſti, & loco exilij non licet.

Nunc

Digitized by Google

Nunc etenim lacrimæ ſunt me ſcribente profuſæ
Humidáq; eſt fletu littera facta meo

Vis verbo dicam?

——Fortuna miſerrima noſtra eſt
Omne trahit ſecum Cæſaris ira malum.

C A M E R A R I V S.

Primus igitur eſt, Securitas Domus Auſtriacæ, eò redacto inimico, vt illi ampliùs nocere nequeat. *De pace & tranquillitate Imperij eiúsq; Ordinum publicâ licet actum ſit, parum refert, modò priuata vindicta ſuum curſum teneat, & Auſtriaca Magnitudo ſeruetur incolumis.*

F A B I V S.

In hoc ſcopo, Camerari, ſcopo non aberras; planè ſecuritas Domus Auſtriacæ, fuit, vt arma armis pellerentur, ſed agedùm per quos ſecuris eſſe non licuit Auſtriacis? nónne per vos? Si qui expilatum irent tuam domum, nónne & ipſe tua defenderes, eò reductis furibus vt ampliùs nocere non poſſent? Quid ſi etiã ad arma clamares, atq; opẽ à ciuibus expoſceres concitato tumultu? Quod hoc ſcelus dicerẽ? itáne vt tua defendas tranquillitatẽ ciuitatis turbas, ac Ciues ad opẽ ferendã more ſeditioſi tumultũ excitas, metúq; omnẽ vrbẽ imples? Iuris naturę eſt, Camerari, ſua defendere; quare magnitudini Auſtriacę nefas ſit, ſeruare ſe etiã vi, cùm vi impugnatur? Sed

Digitized by Google

bonum publicum præferri debet priuato; quis id neſcit, præter vos, qui propter priuatũ, publicum cœpiſtis perdere, perrecturi ad interitum totius Imperij niſi publica manus obſtitiſſet? Ego cùm mea defendo, nemini iniuriam facio; ſi quibuſdam damnum infertur, non mea, graſſatoris culpa eſt. Aſtuta Caluiniſtarum regula, hoc docet: Carpe iam hunc Catholicum, ſi mutiuerit atque cœptis obſtiterit, inclama: heus tu, quieſce; piaculũ eſt pacem turbare; carpe iam iſtum, iam tertium, omnia tandem ex animi ſententia obtinebis, quia Catholicis omnia ferenda ſunt, ne pax publica, ſeu potiùs Caluiniſtica laſciuia turbetur.

CAMERARIVS.

Secundus Scopus ſecundarius eſt: Quia cùm Bauari ditiones anteà Cæſaris ditionibus, veluti pro vallo, contra Superioris Germaniæ Principes Hæreticos obiaceant; ſi ille vtroque inſuper Palatinatu potiatur, hoc vallum longè futurum erit fortius, non tantùm Bohemiæ, ſed etiam inferioris Germaniæ Principum reſpectu.

FABIVS.

Securitas finis fuit Cæſari, vt te tuóſque ſeditioſos in ordinem redigeret; hæc quę tu hîc narras fuerunt documenta finis. Palatinatus Bauaro non eſt adiectus, & ſi adijceretur, haud dubie fortius vallum inter Auſtriam & Caluiniſtarum terras obijceretur. Sed dic tu quæſo,

cuius

Digitized by Google

cuius iniuriâ aut incommodo ſtrueretur hoc malum? an vobis in animo ſedet rurſus in Auſtriam penetrare, & omnia miſcere? pacati haud ægrè vallum patiuntur, ſeditioſi ſoli execrantur, tanquam libidinis ſuæ impedimentum.

CAMERARIVS.

Tertius, quòd radice ſuccisâ, hoc eſt Palatino funditus euerſo, nihil ab illo ampliùs Belgicis Prouincijs ſperandum ſit.

FABIVS.

Rurſus pro fine, qui ſecuritas eſt, cauſam finis adducis: radice enim Heidelbergenſi ſuccisâ, Belgici motus citiùs quieſcent; quia Heidelberga multos annos Seditionis officina fuit; in illa enim pernitioſa aduerſus legitimos Principes conſilia agitata, conſidentibus in ſenatu, Cæo, Iapeto, Mimante, Rhæco Hollandis, Encelado, Typhæo, Cinno, Beſtyco Palatinis; hos certè

Affectaſſe ferunt regnum Cæleſte Gigantes,
Altáq; congeſtos ſtruxiſſe ad ſidera montes.

Sed Iupiter diſiecit inſanas ſtructuras,

—— & fulmine diſpulit enſes.

Fuga fit in Hollandiam, ibi nouus Senatus cogitur, Marte præſidente, & mox ex Senatus-conſulto Brontéſque Steropéſque & nudus membra Pyracmon ferrum exercent, ac noua arma parant, in exitium tandem ſuum, nulla

nulla enim erit & illis ſalus, quam mundo ablatum eunt.

CAMERARIVS.

Quartus: Vt hoc pacto Cæſar ſumptus immenſos, quos fecit, dum hæc bella geſſit, vel recuperare, vel certè ditiones alias oppignoratas liberare poſſit; *vt videre eſt ex epiſtola Cæſaris ad Bauarũ, & alijs aliorũ litteris. Nam* Bauarus Auſtriam ſuperiorem ſibi nexam facilè liberabit, ſi Palatinatum retinere poſſit. *Et hæc quoq; inter alias conditiones comprehenſa in fœdere Monacenſi, vt eſt vero ſimile.*

FABIVS.

Non fuit iſte finis belli, ſed confecto iam bello conſilium iniri potuit de impenſis recuperandis. reputariq; commodum, Palatinum tot malorum auctorem exuere, vnde alteri, qui ſumptus fecerat, ſatisfieret. Quare noſtra proijceremus, vt vos veſtra haberetis? Eam, quam in nobis deſiderabatis patientiam, cùm noſtra raptum iuiſtis, eandem iam, cùm veſtra amittitis, exhibete. Bauarus, ais, facilè liberabit Auſtriam ſuperiorem ſibi nexam, ſi Palatinatum retinere poſſit. Et ego arbitror non eſſe vero abſimile, nihil dum mihi conſtat. Hoc autem in Monacenſi pactione comprehenſum fuiſſe, non eſt vero ſimile, & alio & hoc nomine, quòd id Caluiniſta dicat, imò apertè falſum eſt.

CA-

CAMERARIVS.

Notandum etiam hîc obiter, Ad liberationem Auſtriæ Superioris à pignoris nexu, ipſi adeo Pontifici Romano non tantùm oblatum Antichreſeωs in illâ ius, ſi pretium pignorationis Bauaro ſolueret, ſed in ſecuritatem etiam maiorem promiſſas Imperij contributiones, quidquid ex illis adhuc inter ſtatus eſt reliquum. *Hæc enim omnia ex Cæſareanorum mente proponit Pontifici Legatus Hiſpanicus.*

FABIVS.

Si Camerarius grandius piaculum nunquam commiſit, ſine purgante flamma cœlum intrabit: quanquam tam ſanctus, vt video totus non eſt, addit enim mendaciolum, cùm ſcribit Legatum Hiſpanicum, hæc ex mente Cæſareanorum proponere. Vnde homini conſtat hanc Cęſareanorum mentem fuiſſe? rectiùs ego mentes Caluiniſtarum iudico, quia ſemper eædem ſunt, nempe ſiniſtræ. Agédum verò ſodes, vis tu Hiſpano Auſtriaci Principis Legato vetare de liberanda à nexu Auſtria conſultationem? magna pars Domus Auſtriacæ, vti non neſcis, Rex Hiſpaniç eſt, cui meritò curæ res Auſtriæ, ac potiſſimùm natiuus communis familiæ locus. Tibi liberum ſit ore & calamo technas texere, circumcurſare, aſtus ſerere, conſilia dare, aliena implorare de recuperando Palatinatu, & Hiſpanis non liceat de Auſtria, paternis cunabulis cogitare?

Digitized by Google

Neſcio qua natale ſolum dulcedine cunctos
Ducit, & immemores non ſinit eſſe ſui.

CONSIDERATIO IX^na

CAMERARIVS.

Conſiderentur nunc etiam veræ cauſæ, ob quas Elector Palatinus in tantum odium incurrit, & cur proſcriptionis fulmine percuſſus fuerit. An labefactauit Imperij maieſtatem, ſtatum aut libertatem? An turbauit in Imperio pacem, & tranquillitatem publicam? An aliquem ex Imperij Ordinibus è ditione ſua eiecit? An opes priuatas auxit cum damno reipublicæ? Nihil tale reperies. Sed hoc duntaxat: Quòd Domus Auſtriaca nullos inter Germaniæ principes pertinaciores aduerſarios Palatinis habuit. *Sic nempe maiorum culpam luunt poſteri.*

FABIVS.

Si tam fatuus eſſet Lector, quàm Camerarius ſcriba eſt, crederet, quod ſcribitur: nullæ ei legitimæ occurrunt proſcriptionis cauſæ; quas interrogando à Catholicis vult prolicere, nam ſi ipſe eas affirmaret, ſe ſuóſq; damnaret; ſi negaret, notam mendacij ſubiret. Igitur nos interrogat primò *An labefactauit* (Palatinus) *Imperij maieſtatem, ſtatum aut libertatem?* Neſcio an non maior impudentia ſit interrogare, quàm negare quidquam

quam à Palatino labefactatum. Cæſar labefactatus eſt, Imperij caput; ſi tuum caput diminuam Camerari, nonne diminutum corpus erit? Quousq; licuit, ſcelerata veſtra arma proceſſerunt: neque vobis decretum erat vnum regnum rapere, Catholici vniuerſi petebantur: noſti tamen iam diuiſos conſilijs veſtris Epiſcopatus, aliásq; Prouincias: omnia ruinæ deſtinabantur, vt vos ſoli ſtaretis. An Catholicis oppreſſis ſtatus Imperij non opprimitur & libertas adimitur? Si ita? & vos in omni calamitate fortunę veſtræ iacendo adhuc ſtatis, & liberi eſtis; iacete.

Interrogas ſecundo loco, *An turbauit in Imperio* (Palatinus) *pacem & tranquillitatē publicam?* ô os!

Difficile eſt ſatyram non ſcribere, nam quis iniqui
Tam patiens verbi, tam ferreus, vt teneat ſe!

Mi Camerari, Nihil nos dicamus in Germania, quibus innumera mala illata, quibus Martius furor penates euertit, vbi,

Nobilitas cum plebe perit, latéq; vagatur
Enſis, & à nullo reuocatum eſt pectore ferrum.
Stat cruor in templis, multáq; rubentia cæde
Lubrica ſaxa madent; nulli ſua profuit ætas.

Italia, Gallia, Hiſpania, omnis Europa, aliæque adſitæ & vltrà poſitę Gentes tempeſtatem hanc Caluiniſticam cū tanto terrarum motu, vel ſenſere, vel timuere, & tu quęris an turbaveritis pacem & tranquillitatem publicam? Bardos nos putas Camerari? Contuſus vulneribus ſum, &

Digitized by Google

cogar dicere pellem meam eſſe integram? lacrimas ſanguine mixtas fundo, & cogar dicere, geſtio, tripudio? Omnibus fortunis ſpoliatus ſum, & cogar dicere, antiquis opibus floreo? inter ferrum & ignem vix animam traho, & cogar dicere, ô quàm eſt pax alta & ſecura libertas ſub hoc principe Palatino! Deformata eſt magna pars Germaniæ, omni clade belli; omnia adhuc armis plena, omnia infida; per totũ Imperiũ metuimus, & metuimur, & tamẽ nemo pacẽ & tranquillitatẽ turbauit niſi Catholici, qui inſaniã armatã duntaxat contuderunt, vt pax eſſet.

Rogas tertiò. *An aliquem* (Palatinus) *ex Imperij Ordinibus è ditione ſua eiecit?* Quem, vaferrime Camerari, cenſes eſſe Regem Bohemiæ? an non & is ex Ordinibus Imperij? ille Elector, ille Rex, nullo apud te loco inter Germaniæ Proceres? hunc ex conſilio tuo Palatinus armis appetiuit, hodiéque appetit contra tam ſanctam Imperij ſanctionem. Sequamur tamen manum Camerarij ducentis, & fateamur primò à Palatino neminem ex Imperij Ordinibus è ditione ſua eiectum, quia Palatinus Regem Bohemiæ non eiecit, ſed ipſi Bohemi. En quantę innocentiæ ſit Palatinus! ſed noſſe debet idem eſſe aliquem eijcere, & eiecti regnum occupare, omnémque viam intercludere, vt eiectus eſſe perpetim cogatur. Bohemi Cæſarem exuerunt, Palatinus exuuias induit. Bohemi laborarunt vt Cæſar regno ſuo exiret, Palatinus operam dedit, ne rediret. Vbi maior innocen-

Digitized by Google

tia? Deinde vos Caluiniſtæ, vos Palatini, Cæſarem eieciſtis, vos abdicaſtis, vos ſpoliaſtis: Ignoras facinora tua Camerari, nónne conſilijs veſtris fabulam hanc dedere Bohemi? Si ignoras; nos ſcimus, & quidem beneficio veſtro, quia nos certiores feciſtis per litteras, quas nobis quidem non miſiſtis, ſed vt acciperemus, reliquiſtis Pragæ. In memoriali quodam, manu Palatini ſubiectâ (vt videre eſt in Anhaltina Cancellaria) hęc verba pelleges, *Bohemorum Generalibus declarandum eſſe Ferdinandum eſſe regno inhabilem.* Hic Rhodus, hic Saltus, mi Camerari, in aperto eſt veſtra confeſſio, eieciſtis Cæſarem, eieciſtis, cùm clamaſtis, crucifige. Et vis vt tibi hoc loco ruborem excutiam, & denarrē tuum in Cęſarem affectum peculiarem? quas ſubdolas machinas nō adhibuiſti, vt illi gradum ad Imperij coronam obſepires, & quidem pulcherrimo componendæ priùs pacis prætenſo velo. Anteuertendam, aiebas, ante omnia pacem, quam nullam volebas, ſed potiùs laborabas, vt tum Ferdinandus non eligeretur Cæſar, ne vnquam eligeretur: datâ enim morâ inueniſſet acumen Caluiniſticum impedimenta, & ſi non inueniſſet, feciſſet; fœcundum in malis genus. Recordaríſne Camerari, quid apud Saxonis Legatos moueris? quæ retia tetenderis? Recordaríſne tuo etiam conſilio rebelles Bohemię Ordines impulſos, vt ad Septemvirorum Imperij ſenatum mitterent, qui regni ſui nomine Cæſarem deſignarent? Res dignum

conſilio exitum habuit: Infamiam Legati, quam rebellione contraxerant, repulsâ auxere. Verùm tu, & ipſos, & te omnia fruſtra tentantem egregiè vindicaſti, quando rebus cum Cæſare deſperatis ad Bohemos ſcripſiſti, vt publicis comitijs Ferdinandum regio magiſtratu abdicarent, ac, ſi Cæſarem in Imperio eligere non poſſent, Cæſarem in Bohemia perderent; Ingenti nimirum laude, cum ſicarijs communi: & hi enim auferre nôrunt, quod dare non queunt.

Quartò interrogas: *An opes priuatas,* (Palatinus) *auxit cum damno Reipublicæ? Nihil tale reperies.* Rectè addis Camerari, nihil tale reperies, & niſi tu addidiſſes, ego adderem. Nihil ſine dubio tale reperio, quia adeò Palatinus res ſuas non auxit, vt omnes ad aſſem amiſerit: quæſitum tamen iuit alienas opes, & iam non modicas acquiſierat, ſed quia oneri ferendo non fuit, proiecto inſidiantibus pondere, nudus profugit, etiam ea amiſſurus, quæ à maioribus acceperat, quia dum rapere ipſe didicit, alios docuit. Quæ cùm ita ſint, vera cauſa proſcriptionis Palatini eſt hæc duntaxat, vti Camerarius impudenter interrogando hîc ſcribit, quòd domus Auſtriaca nullos inter Germaniæ Principes pertinaciores aduerſarios Palatinis habuerit. Quæro an verè hæc dicantur, Camerari? ſi verè? fateris Palatinos Domus Auſtriacæ fuiſſe hoſtes, quod tamen infrà confutas, & hîc malè ſcribis maiorum culpas luere poſteros. Si falsò,

non

non fuit Auſtriacis inimicitia in Palatinum cauſa proſcriptionis. Cauſæ aliæ ſunt, & quidem nimis multæ, terrarum Orbe teſte; Socero Palatini iudice, qui literis Generi facinus deteſtatus, nullis habenis ruentem in præceps Iuuenem coërcere potuit. Et quis queſo Regum, facto Palatini fauere poſſet? Nimis multi ſuccedere cuperent in tanta fortuna, ſi anteceſſores pellere liceret. Cruentę licentiæ viam aperit, quiſquis Palatini iter probat, vt taceā legibus Imperij ſeueriſſimè caueri Camerari, ne quis rebellium patronum agat, aut Dominum.

CAMERARIVS.

Non autem Imperij, *ſed* Domus Auſtriacæ *aduerſarios Palatinos fuiſſe dicitur. quòd probè conſiderandum eſt. Priuata igitur odia tantum turbarum dederunt. Recenſentur quadā in Epiſtola ad Zunigam exempla; ſed reuera parùm appoſitè. Nam ſub Maximiliano* I. *lis Palatinis non cum Imperatore, ſed Bauaris fuit: vt docet Hiſtoria belli Bauarici. Carolo* V. *nullus Principum Germaniæ, quamuis magnâ cum iacturâ Domus Palatinæ, maiora ſeruitia Friderico* II. *Electore præſtitit. Ferdinandus* I. *&* Rudolphus II. *nihil vnquam aduerſi à Palatinis, ſed multa potiùs ſinceri cultus officia experti fuerunt. Inter Maximilianum vero* II. *& Fridericum* III. *tanta interceſſit omni tempore neceſſitu-*

do

do & amicitia, ut cum ille anno M.D.LIX. à patre ob hæreſeωs ſuſpicionem duriùs haberetur, ad ipſum veluti ad aſylum, caſu neceſſitatis, perfugere conſtituerit. Quod actis Authenticis probari poteſt. Cùm vero anno M.D.LXVI. Auguſtæ vehementioribus quibusdam nimium indulſiſſet, ſæpiùs hoc poſtea apud Fridericum deprecatus fuit. Hoc etiam actis authenticis demonſtrari poteſt. Sed alterius iſta ſunt loci & temporis. Matthias ſanè Imperator ultimùm defunctus, ſuam Electionem Palatinæ Domui potiſſimum debuit. Conditor ipſe Auſtriacæ Familiæ Rudolphus I. Imperator ſolius Ludouici Electoris Palatini cùm collegæ eius vota ſua ei reſignaſſent arbitrio ac renunciatione, ſceptra Imperij ex Habſpurgenſi Comite ſuſcepit; nec niſi eiusdem Ludouici ſuffragio traditis in poſſeſſionem perpetuam filio Alberto Auſtriâ aliiſq; Imperij prouincijs, familiā eam condidit. Rudolphus verò Ludouico Patri in Electoratu Palatino ſucceſſor, quā inſignes calamitates, ob fauorem ſuffragij, contra fratrem ſuum Ludouicum Bauarum, Friderico Auſtriaco factum, ſubierit; non rarum in Hiſtoriâ. Qua & illud docebit, non ſaltem memoratum Matthiam, ſed etiā omnes alios ante eum, & poſt modò dictum Fridericum ex familiâ

liâ Auſtriaca electos Imperatores, iuuantibus & ſuffragantibus Palatinis ad faſtigium illud honorũ perueniſſe. Inter quæ exempla illud & rarum, quòd Philippus Palatinus Elector Maximilianũ I. Imp. duplici ſuffragio iuuerit. Qui & eâdem propenſione Maximiliano, à Brugenſibus & Gandauenſibus capto, auxiliarem CCCC. peditum & CC. equitũ cohortem, ſub ductu Comitis Henrici à Bitſch, in ſex menſium ſubſidium ſuo ſumptu miſit. Longum præterea eſſet alia officia, itinera, & expeditiones, à Friderico Palatino Philippi Electoris filio (qui & poſtea Electoratui Palatino præfuit) Auſtriacorum bono, præter ſeruitia, quæ (vt dictum) Carolo V. is præſtitit, ſuſceptas; nec non Philippi (qui huic Friderico ex fratre Nepos) in defendendâ Vienna Auſtriaca, contra Solimanni Turcarum Principis potentiſſimi vim, & conatus, præclarè geſta enarrare.

FABIVS.

Reſpira Camerari, dum & ego loquar. Non potuit inimicitia veſtra in Domum Auſtriacam exerceri, niſi etiam in Imperij caput exerceretur, quia liuor eum tantum adúſſit, qui imperauit, & tu infrà clariſſimis verbis vlcus incidis, cùm ais, *Imperiũ vni Domui obnoxiũ, & ſeruituti adſcriptũ, ferre Palatini non potuerũt:*

R Neque

Neq; ego nego priuata odia tantum turbarum dediſſe, ſed odia iſta, fuerunt veſtra. Exempla inuerſi aduerſus Auſtriacos ſtomachi denarrantur, vt ais, in Epiſtola ad Zunigam N. 18. Denarrantur Camerari, quia ſunt. Sed reuera, inquis, parum appoſitè; planè parum appoſitè, ſed tibi. Sub Maximiliano I. inquis, lis Palatinis non cum Imperatore, ſed Bauaris fuit. Iam viciſti, Camerari, de triumpho cogita. Lis Palatinis maior cum Cæſare, quàm cum Bauaris fuit; nato inter vtramque partem bello Maximilianus Cæſar pacem imperauit; quam tam parum acceptaſtis, vt etiam Cæſari, contemptâ proſcriptione reſtiteritis, & perinde accidit, quod patrifamiliâs accidere ſolet. Huic duo ſunt filij, qui coortâ rixâ manus conſerunt, pater pacem mandat; alter obtemperat; alter frenos iracundiæ laxans imperium ſpernit, atque etiam aduerſus ipſum patrem ferrum ſtringit. Nihilominus tamen pietatem iactat, palámque enunciat; litem ſibi cum fratre, non cum patre eſſe. Si tu arbiter horum filiorum ſedeas, Camerari, quam ſententiam feres? piúſne tibi impius ille filius? ſi pius, & vos pij fuiſtis, atque etiam amici, quandò contra hunc Cæſarem armis certaſtis. *Carolo* V. ais, *nullus Principum Germaniæ quamuis magnâ cum iacturâ Domus Palatinæ maiora ſeruitia Friderico* II. *Electore prӕſtitit.* Nominare debuiſſes, Camerari, hæc ſeruitia, nam hunc aduerſus Cæſarem Carolum,

miſſis ad Schmalcaldicos equitum auxilijs rebellem fuiſſe, nimis apud Hiſtoricos decantatum eſt. Inclinatis iam Proteſtantium rebus. [Halam Palatinus (inquit Auila lib. priore de bello Germanico) ad Cæſarem venit, & factâ poteſtate cubiculum ingreſſus, quàm poteſt demiſſiſſimè atq; ſubiectiſſimè poſtulata exponit, cupere ſe Cæſari purgatum, ne ea, quæ egerit, in ſuam contumeliam vertat, paratum ſe eſſe omnibus rationibus de iniurijs ſatisfacere, quarum ſi iudicij æquitate abſolui non poſſet, orare, ſibi, vt parcat, & pœnitudini, quam lacrimis etiam teſtabatur, noxam condonet. Cæſar orationem eius interpellat, ſcire ſe, quæ ab eo cum fœderatis acta ſint, nec quenquam inde plùs, quàm ſe doloris capere, propterea quòd, quum beneficio & liberalitate ſuâ, ampliſſima quæq; ſit conſequutus, ſanguinis propinquitate, & neptis ſuæ nuptijs iunctus, in regia ſua communicato educationis officio à teneris annis enutritus, hanc ſibi in extrema ferè ſenecta, cunabulorum, affinitatis, & honoris gratiam referat, vt hoſtes equitum auxilijs iuuerit, opibúſque ſuis & copijs texerit. Quæ cùm euidentiora ſint, quàm vt vlla excuſatione refelli poſſint ac dilui, tanti tamen apud ſe educationis, & priſtinæ neceſſitudinis gratiam eſſe, vt & ſuam, & Reipubl. iniuriam precibus eius ac dolori condonet. Porrò autem monere ſe, vt in reliquum tempus ſuſpiciones omnes vitet, & dedecus in ſe admiſſum, officio & fide reſarciat:

Digitized by Google

præteritis enim eò ſe libentiùs ignoſcere, quo maiori ſpe perpetuæ in futurum innocentiæ eius ſit confirmatus. Palatinus ad ea, quæ priùs reſponderat, pleraque eiuſdem generis addidit, cum idonea ſatis, vt ſibi ipſe perſuadebat, excuſatione coniuncta. Meo tamen & omnium qui circa Cæſarem erant iudicio, nihil vel ad Miſericordiam vehementiùs mouere, vel æquiore ratione, noxæ eximere viſum eſt, quàm venerandi ſenis illius detecta canities, & flebiles lacrimæ, quibus tantus Princeps, genere copiiſque ampliſſimus, qui tam arctâ cognationis, & neceſſitudinis propinquitate Cæſarem ipſum contingeret, culpam ſuam demiſiſſimè deprecabatur. Poſt eum diem in antiquum locũ gratiæ, & honoris reſtitutus eſt, quamuis in primo illo congreſſu, pro criminis grauitate & temporis ratione, ſeueriùs à Cæſare fuerit exceptus.] Hæc nimirum Philippi fuêre ſeruitia; ex facillitate Cæſaris veniâ digna, non gratiâ.

De officijs veſtris in Ferdinandum, Rudolphúmq; Cæſares collatis aliquid conſtaret, ſi aliquid adferres, ſed quia id tibi nimis operoſum iudico, laborem condono; hoc ſcio Rudolphi tempore optimis conſilijs ac ſententijs, ſemper interceſſum à Palatinis; id acta Comitiorum teſtantur. Sed quid hæc tam leui brachio tracto? indigniſſimè habuiſtis Rudolphum, & tantũ non ipſam Imperij Coronam ſacro capiti decuſſiſtis. Anno M.DC.IX. iteratò & per epiſtolam & coràm, Pragæ octauo Idus Sextil.

til. inſolentiſſimò more contendiſtis (contendiſtis, inquam, omnis verecundię apud Principẽ veſtrũ obliti) vti *in Danuwerdano negotio acta irrita haberentur; Vrbs ſuæ libertati redderetur; omnia etiam & ſingula contra declinantes & inuitos ſancita Imperij legibus conuenienter, tollerentur. Concilium Auliſcum & decernendi rationes immutarentur: ex Septemvirorum deniq; atque Imperij Principum conſilio, alij vtriuſque Religionis ſufficerentur. Sin minùs; quem non videre, cogi eos, quorum ſit Legatio, Principes, impediendis his & aliis enormibus Aulæ Decretis, nec non auertendis, ab Repub. oneribus, ad ſui ſuorúmq; iuſtiſſimam defenſionem, liberationémque conuerti?*

In Replica item 6. Calend. Septembres *Anni* M. DC. IX. *Poſteaquam (inquiunt) ſuper ciuitate* Danuwerdanâ *reſtituenda, reſcindendis Aulæ Cæſareæ decretis, adminiſtrandi rationibus emendandis &c. deſperata res eſt; nequaquam prætermittendum eſt, declarari à me (Legato) quid conſilij in omnem cauſæ euentum Principes ceperint; quod eiuſcemodi eſt, vt negotium commune, ſæpiùs ad Cæſarem depoſitum, nunquam ſatis hucuſq; ſuſceptum, Ipſimet Imperij Optimates excipiant. & ſi*

more ſuo pergat Aula Cæſarea actis ſuis, obtruſa per abuſum Cæſaris authoritate, conuellere immunitates, opprimere ſtatus, omnem rei communis pacem, quietémq; peſſumdare; conſilio inter ſe & manu occurrant &c. Superbiùs adhuc in litteris ad ipſummet Imperatorem 6. Calend. Febr. anno proximè inſequente datis. *Quòd ſi (aiunt in his) Cæſareæ Maieſtatis promiſſum (ſuper Danuwerdanâ reſtitutione) moram trahere, Aulæ autem conſulta progredi contingat; hîc verò Immortalem Deum, Maieſtati V^{ræ} & omnibus Poſteris, teſtamur; nequaquam nos ſeu hortatu, ſeu obteſtatione &c. vnquam defuiſſe &c. Neq; ſi quod inde Patriæ malum emergat, mortalium quenquam, in crimen nos iure vocaturum; nec Cæſaream V^{ram} M^{tem} auerſionis vllius in nos cauſam, habituram; ſi nobis, ſi voluntati noſtræ, ſi Patriæ neceſſitati conſulentes, ita commune curaturi ſumus, vt fas, & officij noſtri debitum exiget. Illud profectò conſtare omnibus volumus; minimè paſſuros, vt conſuetis hucuſque Aulæ Decretis, & alijs intolerandis modis, his præſertim Cæſareis Conſiliarijs, & ita affectis, nos grauari; ſed onus iunctis viribus & ingenijs excuſſuros, &c.*

Hæc

Digitized by Google

Hæc Caluiniſtæ apud Cæſarem, & quidem eo tempore, quo ipſe fortunæ telo ictus, aliiſque curis agitatus ſolatio potiùs leuandus erat, quàm tam ſuperbis minis & intolerandis denuntiationibus vexandus. Hæc ſcilicet fuerunt officia Palatinæ Domus in Rudolphum Camerari, hæc in vniuerſos Catholicorum ſtatus, quorum iugulum petebatur. Catholicos tractabant aliquot in locis Caluiniſtæ malignè & acerbè; his iuſtam manum porrigere, nefas ipſi Imperatori fuit; quia Caluiniſtæ quibuſcunque demum modis Catholicos affligant, nec iniuſtè faciunt, nec reſcindi, quæ fecêre, patiuntur, Quod ſi ſecus fiat; grauatos ſe clamant, obrui ſe grandi tyrannide queruntur, Cęſari ſe ſceptrum excuſſuros minantur, vt ipſi geſtent. Atque hęc ſibi neſcio à quibus Superis mandari iactitant, quin eos quoque qui Cæſari à conſilijs ſunt, Senatu mouent, lecturi ſibi ſimiles, vt cum Catholicis ouibus forfices & tonſuras minantur, habeant timidulæ à quibus defendantur, lupos. Itaque Caluiniſtis certum ſedet Cæſares & Reges ſub iugum mittere, vt noui è ſuorum Deorum cœtu Ioues in tam ſublimibus ſolijs conſideant, Saturnis per pietatem expulſis.

Res iſta vt nobis inſolentiſſima, ita & ipſis fortaſſe Caluiniſtis nimiùm operoſa viſa: quare mitius ingeniũ, ſed

non

conſilio exitum habuit: Infamiam Legati, quam rebellione contraxerant, repulsâ auxere. Verùm tu, & ipſos, & te omnia fruſtra tentantem egregiè vindicaſti, quando rebus cum Cæſare deſperatis ad Bohemos ſcripſiſti, vt publicis comitijs Ferdinandum regio magiſtratu abdicarent, ac, ſi Cæſarem in Imperio eligere non poſſent, Cęſarem in Bohemia perderent; Ingenti nimirum laude, cum ſicarijs communi: & hi enim auferre nôrunt, quod dare non queunt.

Quartò interrogas: *An opes priuatas,* (Palatinus) *auxit cum damno Reipublicæ? Nihil tale reperies.* Rectè addis Camerari, nihil tale reperies, & niſi tu addidiſſes, ego adderem. Nihil ſine dubio tale reperio, quia adeò Palatinus res ſuas non auxit, vt omnes ad aſſem amiſerit; quæſitum tamen iuit alienas opes, & iam non modicas acquiſierat, ſed quia oneri ferendo non fuit, proiecto inſidiantibus pondere, nudus profugit, etiam ea amiſſurus, quæ à maioribus acceperat, quia dum rapere ipſe didicit, alios docuit. Quæ cùm ita ſint, vera cauſa proſcriptionis Palatini eſt hæc duntaxat, vti Camerarius impudenter interrogando hîc ſcribit, quòd domus Auſtriaca nullos inter Germaniæ Principes pertinaciores aduerſarios Palatinis habuerit. Quæro an verè hæc dicantur, Camerari? ſi verè? fateris Palatinos Domus Auſtriacæ fuiſſe hoſtes, quod tamen infrà confutas, & hîc malè ſcribis maiorum culpas luere poſteros. Si falsò,

non

non fuit Auſtriacis inimicitia in Palatinum cauſa proſcriptionis. Cauſæ aliæ ſunt, & quidem nimis multæ, terrarum Orbe teſte; Socero Palatini iudice, qui literis Generi facinus deteſtatus, nullis habenis ruentem in præceps Iuuenem coërcere potuit. Et quis quęſo Regum, facto Palatini fauere poſſet? Nimis multi ſuccedere cuperent in tanta fortuna, ſi anteceſſores pellere liceret. Cruentę licentiæ viam aperit, quiſquis Palatini iter probat, vt taceã legibus Imperij ſeueriſſimè caueri Camerari, ne quis rebellium patronum agat, aut Dominum.

CAMERARIVS.

Non autem Imperij, *ſed* Domus Auſtriacæ *aduerſarios Palatinos fuiſſe dicitur. quòd probè conſiderandum eſt. Priuata igitur odia tantum turbarum dederunt. Recenſentur quædã in Epiſtola ad Zunigam exempla; ſed reuera parùm appoſitè. Nam ſub Maximiliano* I. *lis Palatinis non cum Imperatore, ſed Bauaris fuit: vt docet Hiſtoria belli Bauarici. Carolo* V. *nullus Principum Germaniæ, quamuis magnâ cum iacturâ Domus Palatinæ, maiora ſeruitia Friderico* II. *Electore præſtitit. Ferdinandus* I. *&* *Rudolphus* II. *nihil vnquam aduerſi à Palatinis, ſed multa potiùs ſinceri cultus officia experti fuerunt. Inter Maximilianum vero* II. *& Fridericum* III. *tanta interceſſit omni tempore neceſſitu-*

do

do & amicitia, vt cum ille anno M.D.LIX. *à patre ob hæreſeωs ſuſpicionem duriùs haberetur, ad ipſum veluti ad aſylum, caſu neceſſitatis, perfugere conſtituerit. Quod actis Authenticis probari poteſt. Cùm vero anno* M.D.LXVI. *Auguſtæ vehementioribus quibusdam nimium indulſiſſet, ſæpiùs hoc poſtea apud Fridericum deprecatus fuit. Hoc etiam actis authenticis demonſtrari poteſt. Sed alterius iſta ſunt loci & temporis. Matthias ſanè Imperator vltimùm defunctus, ſuam Electionem Palatinæ Domui potiſſimum debuit. Conditor ipſe Auſtriacæ Familiæ Rudolphus* I. *Imperator ſolius Ludouici Electoris Palatini cùm collegæ eius vota ſua ei reſignaſſent arbitrio ac renunciatione, ſceptra Imperij ex Habſpurgenſi Comite ſuſcepit; nec niſi eiusdem Ludouici ſuffragio traditis in poſſeſſionem perpetuam filio Alberto Auſtriâ aliiſq; Imperij prouincijs, familiā eam condidit. Rudolphus verò Ludouico Patri in Electoratu Palatino ſucceſſor, quā inſignes calamitates, ob fauorem ſuffragij, contra fratrem ſuum Ludouicum Bauarum, Friderico Auſtriaco factum, ſubierit; non rarum in Hiſtoriâ. Quæ & illud docebit, non ſaltem memoratum Matthiam, ſed etiā omnes alios ante eum, & poſt modò dictum Fridericum ex familiâ*

liâ Auſtriaca electos Imperatores, iuuantibus & ſuffragantibus Palatinis ad faſtigium illud honorū perueniſſe. Inter quæ exempla illud & rarum, quòd Philippus Palatinus Elector Maximilianū I. Imp. duplici ſuffragio iuuerit. Qui & eâdem propenſione Maximiliano, à Brugenſibus & Gandauenſibus capto, auxiliarem CCCC. peditum & CC. equitū cohortem, ſub ductu Comitis Henrici à Bitſch, in ſex menſium ſubſidium ſuo ſumptu miſit. Longum præterea eſſet alia officia, itinera, & expeditiones, à Friderico Palatino Philippi Electoris filio (qui & poſtea Electoratui Palatino præfuit) Auſtriacorum bono, præter ſeruitia, quæ (vt dictum) Carolo V. is præſtitit, ſuſceptas; nec non Philippi (qui huic Friderico ex fratre Nepos) in defendendâ Vienna Auſtriaca, contra Solimanni Turcarum Principis potentiſſimi vim, & conatus, præclarè geſta enarrare.

FABIVS.

Reſpira Camerari, dum & ego loquar. Non potuit inimicitia veſtra in Domum Auſtriacam exerceri, niſi etiam in Imperij caput exerceretur, quia liuor eum tantum adúſſit, qui imperauit, & tu infrà clariſſimis verbis vlcus incidis, cùm ais, *Imperiū vni Domui obnoxiū, & ſeruitute adſcriptū, ferre Palatini non potuerūt:*

Neq; ego nego priuata odia tantum turbarum dediſſe, ſed odia iſta, fuerunt veſtra. Exempla inuerſi aduerſus Auſtriacos ſtomachi denarrantur, vt ais, in Epiſtola ad Zunigam N. 18. Denarrantur Camerari, quia ſunt. Sed reuera, inquis, parum appoſitè; planè parum appoſitè, ſed tibi. Sub Maximiliano I. inquis, lis Palatinis non cum Imperatore, ſed Bauaris fuit. Iam viciſti, Camerari, de triumpho cogita. Lis Palatinis maior cum Cæſare, quàm cum Bauaris fuit; nato inter vtramque partem bello Maximilianus Cæſar pacem imperauit; quam tam parum acceptaſtis, vt etiam Cæſari, contemptâ proſcriptione reſtiteritis, & perinde accidit, quod patrifamiliâs accidere ſolet. Huic duo ſunt filij, qui coortâ rixâ manus conſerunt, pater pacem mandat; alter obtemperat; alter frenos iracundiæ laxans imperium ſpernit, atque etiam aduerſus ipſum patrem ferrum ſtringit. Nihilominus tamen pietatem iactat, palámque enunciat; litem ſibi cum fratre, non cum patre eſſe. Si tu arbiter horum filiorum ſedeas, Camerari, quam ſententiam feres? piúſne tibi impius ille filius? ſi pius, & vos pij fuiſtis, atque etiam amici, quandò contra hunc Cæſarem armis certaſtis. *Carolo* V. ais, *nullus Principum Germaniæ quamuis magnâ cum iacturâ Domus Palatinæ maiora ſeruitia Friderico* II. *Electore præſtitit.* Nominare debuiſſes, Camerari, hæc ſeruitia, nam hunc aduerſus Cæſarem Carolum,

miſſis ad Schmalcaldicos equitum auxilijs rebellem fuiſſe, nimis apud Hiſtoricos decantatum eſt. Inclinatis iam Proteſtantium rebus. [Halam Palatinus (inquit Auila lib. priore de bello Germanico) ad Cæſarem venit, & factâ poteſtate cubiculum ingreſſus, quàm poteſt demiſſiſſimè atq; ſubiectiſſimè poſtulata exponit, cupere ſe Cæſari purgatum, ne ea, quæ egerit, in ſuam contumeliam vertat, paratum ſe eſſe omnibus rationibus de iniurijs ſatisfacere, quarum ſi iudicij æquitate abſolui non poſſet, orare, ſibi, vt parcat, & pœnitudini, quam lacrimis etiam teſtabatur, noxam condonet. Cæſar orationem eius interpellat, ſcire ſe, quæ ab eo cum fœderatis acta ſint, nec quenquam inde plus, quàm ſe doloris capere, propterea quòd, quum beneficio & liberalitate ſuâ, ampliſſima quæq; ſit conſequutus, ſanguinis propinquitate, & neptis ſuæ nuptijs iunctus, in regia ſua communicato educationis officio à teneris annis enutritus, hanc ſibi in extrema ferè ſenecta, cunabulorum, affinitatis, & honoris gratiam referat, vt hoſtes equitum auxilijs iuuerit, opibúſque ſuis & copijs texerit. Quæ cùm euidentiora ſint, quàm vt vlla excuſatione refelli poſſint ac dilui, tanti tamen apud ſe educationis, & priſtinæ neceſſitudinis gratiam eſſe, vt & ſuam, & Reipub. iniuriam precibus eius ac dolori condonet. Porrò autem monere ſe, vt in reliquum tempus ſuſpiciones omnes vitet, & dedecus in ſe admiſſum, officio & fide reſarciat:

præteritis enim eò ſe libentiùs ignoſcere, quo maiori ſpe perpetuæ in futurum innocentiæ eius ſit confirmatus. Palatinus ad ea, quæ priùs reſponderat, pleraque eiuſdem generis addidit, cum idonea ſatis, vt ſibi ipſe perſuadebat, excuſatione coniuncta. Meo tamen & omnium qui circa Cæſarem erant iudicio, nihil vel ad Miſericordiam vehementiùs mouere, vel æquiore ratione, noxæ eximere viſum eſt, quàm venerandi ſenis illius detecta canities, & flebiles lacrimæ, quibus tantus Princeps, genere copiiſque ampliſſimus, qui tam arctâ cognationis, & neceſſitudinis propinquitate Cæſarem ipſum contingeret, culpam ſuam demiſiſſimè deprecabatur. Poſt eum diem in antiquum locũ gratiæ, & honoris reſtitutus eſt, quamuis in primo illo congreſſu, pro criminis grauitate & temporis ratione, ſeueriùs à Cæſare fuerit exceptus.] Hæc nimirum Philippi fuêre ſeruitia; ex facillitate Cæſaris veniâ digna, non gratiâ.

De officijs veſtris in Ferdinandum, Rudolphúmq; Cæſares collatis aliquid conſtaret, ſi aliquid adferres, ſed quia id tibi nimis operoſum iudico, laborem condono; hoc ſcio Rudolphi tempore optimis conſilijs ac ſententijs, ſemper interceſſum à Palatinis; id acta Comitiorum teſtantur. Sed quid hæc tam leui brachio tracto? indigniſſimè habuiſtis Rudolphum, & tantũ non ipſam Imperij Coronam ſacro capiti decuſſiſtis. Anno M.DC.IX. iteratò & per epiſtolam & coràm, Pragæ octauo Idus Sex-

til.

til. inſolentiſſimó more contendiſtis (contendiſtis, inquam, omnis verecundiç apud Principẽ veſtrũ obliti) vti *in Danuwerdano negotio acta irrita haberentur; Vrbs ſua libertati redderetur; omnia etiam & ſingula contra declinantes & inuitos ſancita Imperij legibus conuenienter, tollerentur. Concilium Aulicum & decernendi rationes immutarentur: ex Septemvirorum deniq; atque Imperij Principum conſilio, alij vtriuſque Religionis ſufficerentur. Sin minùs; quem non videre, cogi eos, quorum ſit Legatio, Principes, impediendis his & aliis enormibus Aulæ Decretis, nec non auertendis, ab Repub. oneribus, ad ſui ſuorúmq; iuſtiſsimam defenſionem, liberationémque conuerti?*

In Replica item 6. Calend. Septembres Anni M.DC.IX. *Poſteaquam (inquiunt) ſuper ciuitate Danuwerdanâ reſtituenda, reſcindendis Aulæ Cæſareæ decretis, adminiſtrandi rationibus emendandis &c. deſperata res eſt; nequaquam prætermittendum eſt, declarari à me (Legato) quid conſilij in omnem cauſæ euentum Principes ceperint; quod eiuſcemodi eſt, vt negotium commune, ſæpiùs ad Cæſarem depoſitum, nunquam ſatis hucuſq; ſuſceptum, Ipſimet Imperij Optimates excipiant. & ſi*

Hæc Caluiniſtæ apud Cæſarem, & quidem eo tempore, quo ipſe fortunæ telo ictus, aliiſque curis agitatus ſolatio potiùs leuandus erat, quàm tam ſuperbis minis & intolerandis denuntiationibus vexandus. Hæc ſcilicet fuerunt officia Palatinæ Domus in Rudolphum Camerari, hæc in vniuerſos Catholicorum ſtatus, quorum iugulum petebatur. Catholicos tractabant aliquot in locis Caluiniſtæ malignè & acerbè; his iuſtam manum porrigere, nefas ipſi Imperatori fuit; quia Caluiniſtæ quibuſcunque demum modis Catholicos affligant, nec iniuſtè faciunt, nec reſcindi, quæ fecêre, patiuntur, Quod ſi ſecus fiat; grauatos ſe clamant, obrui ſe grandi tyrannide queruntur, Cęſari ſe ſceptrum excuſſuros minantur, vt ipſi geſtent. Atque hęc ſibi neſcio à quibus Superis mandari iactitant, quin eos quoque qui Cæſari à conſilijs ſunt, Senatu mouent, lecturi ſibi ſimiles, vt cum Catholicis ouibus forfices & tonſuras minantur, habeant timidulæ à quibus defendantur, lupos. Itaque Caluiniſtis certum ſedet Cæſares & Reges ſub iugum mittere, vt noui è ſuorum Deorum cœtu Ioues in tam ſublimibus ſolijs conſideant, Saturnis per pietatem expulſis.

Res iſta vt nobis inſolentiſſima, ita & ipſis fortaſſe Caluiniſtis nimiùm operoſa viſa: quare mitius ingeniũ, ſed

non

non probius è tua cohorte Heidelbergenſi nouo ſenatus Caluiniani Decreto, Palatino Principi altius Cæſareo tribunal erigendum cenſet, in ipſius etiam Imperatoris caput, audiamus illum, *Sicubi*, inquit, *contingeret, quemcunque Imperij Procerum ab Cæſare, vel tanquam Imperij capite, vel tanquam priuato, ſiue in Iudicium re adductâ, ſiue ſecus grauari; Palatinũ poſtpoſito interpellantis reſpectu, poſſe, ob rationes ibidem aſtructas, in Cæſarem, ſeu in Appellationis ſeu ſimplicis querelæ rebus, Iudicem agere: Id & S. Imperij difficultates grauiſſimas exigere, & Palatinum ex officio laboranti Imperio manum debere præbere, &c. Clariſſimum verò eſſe multiplicia onera Ordinibus, præſertim Euangelicis incumbere; in dies etiam ab Aulâ Imperatoriâ accumulari; & poſt tot, támque graues admonitiones nihil tamen imminui. Quòd ſi, Cæſare in cancellos priſtinos concluſo, Elector Palatinus pro Iure ageret, minimè dubiam fore grauaminum leuationem; antè non impetrandam, quàm Aula Cæſareæ conſulta reſcindantur. Re igitur communi, ſtatuũ imprimis Germanorum, ſic periclitante, nemine vllo opitulante, teneri Palatinum Ius illud ſuum obtinere, & Iudiciario more in Cæſarem vti: Tum etiam ipſius &*

omnium

Digitized by Google

omnium poſterorum plurimùm intereſſe authoritatem illam, hucúſque velut intra vaginam conditam ſeſe exſerere tandem: nec pati, vt indulgentiâ quãdam, vel etiam ſolâ diſſimulatione, ſicut ferè in alijs vſu venit, Libertas hæc tam præclara, aut in deſuetudinem, aut obliuionem abeat.

Hæc tu Camerari vel tui ſimilis, vt Palatinus tuus Cęſaris Imperator creetur. An magis vllo aptiore conſilio Reſpub. euerti poſſet, quàm per iſtud? Fruſtum Cęſaris Caluiniſtę poſtulant, non Cęſarem. Si cuiuis, ſi in quacunq; re, Cęſare ſpreto, liceat Heidelbergam proficiſci, & aut inſontes accuſare, aut noxam ſcelere contractam excuſare, de omni Imperio actum eſt; de Imperio inquam, quod tot ſęculis, contra tot hoſtes exteros ſtetit inuictum. Inuenit Inuidia tandem iuſtos fortunę Germanicę vindices Caluiniſtas. Si alię gentes Imperij decus Germanis eripere non poſſunt, Caluiniſtę Imperium in Imperij patria peſſundare nôrunt. Quid enim eſt Caluiniſtis Cęſar? inane nomen & contemptum, *Stat magni nominis vmbra.* Quid eſt Palatinus? Summorum Iudicum Æacus, & par Ioui Sceptrifer: Vaniſſime nugator Camerari, quid toties veſtram Iudiciariam poteſtatem venditas, quę nunquam vſu recepta, nunquam vſu recipietur? & auſus es tamen ſuprà exſpuere, Palatinum Iudicem Cęſaris eſſe ex antiquis Germanorum legibus? quæ

ſunt iſtę leges tuę legirupa? qui Cęſar eas tulit? quę comitia ſanxêre? quod iſtud plebis-ſcitum eſt? Carolus IV. in aurea ſua Bulla nullam legem recenſet, ſed ait, *ex conſuetudine introductum dici*; ita nec morem, nec conſuetudinem huius poteſtatis Carolus nouit; Camerarius autem nouit, modò nos etiam noſceremus, aut noſſe Caluiniſtas pateremur.

Ingenium nocet ingenio; noſtrâ arte perimus.

De Maximiliano II, neſcio quæ arcana memores laudatis actis publicis, quæ vbi monſtraueris, fidem verbis tuis facies, aut derogabis. Iam Matthias etiam defunctus in veſtro adhuc ære eſt, nam Electionem ſuam Domui Palatinæ potiſſimùm debet. Scio Camerari, vos in hunc Principem vota contuliſſe, ſed non ſcio quantum vobis debeat; opportunum eum magis, ob morum candorem veſtris conſilijs iudicâſtis, quàm Albertum Hiſpanicis artibus imbutum, aliorúmque ſtudijs Imperatorio ſceptro deſtinatum. Operam igitur dediſtis, vti Albertus detruderetur, Matthiam attollere; detruſuri etiam hunc, niſi alteruter eligendus eſſet. Vos ipſos amâſtis, mei Caluiniſtæ, non Matthiam. At prædicatur in margine chartæ tuæ fauor Ludouici Palatini in Rudolphum I. magnitudinis Auſtriacæ Auctorem: placet, Camerari, mihi calamus tuus, ſed is potiùs deprædicat Bauari fauorem, nam Ludouicus ille rerum in Bauaria potiebatur. Eius filium Rudolphum acerrimis ſtudijs fuiſſe deuinctum Auſtria-

cis,

Digitized by Google

cis, veriſſimè narras, ſed omnia illa ſtudia incenſa fuere à fraterna inuidia; ægrè ferebat Rudolphus Imperatoriam coronam in vertice Iunioris fratris radios emittere: in ſuo, aut alieno mallebat. Mirari ſubit hoc lôco, cur affectum & officia Principis tui in hodiernum Cæſarem prætermittas? nónne & ipſe voto veſtro Imperator creatus? omnino, ſed tum demum cùm omnibus tentatis impediri Electio non potuit. Extant multa amoris eius in Cæſarem hunc indicia, inter cetera raptus regni, & cupiditas parti iam Imperij.

CAMERARIVS.

Sed quid multa? Non potentiæ Auſtriacæ vnquam inuiderunt Palatini. Sed plus ſemper ipſi Imperio, huiúſque incolumitati ac libertati ſe debere profeſſi ſunt. Hinc priuati nunc odij acerbitas. Imperium vni Domui obnoxium, & ſeruituti adſcriptũ, ferre non potuerunt. *Hoc Maieſtatis crimen, hæc cauſa proſcriptionis. Cæteræ omnes cauſæ, non cauſæ, ſed hoſtilitatis prætextus ſunt. Laruam, enim, interceptæ & nunc in lucem protractæ Epiſtolæ, ſimulatæ Iuſtitiæ detrahunt.*

FABIVS.

Inuidiam veſtram potentiâ Auſtriacâ non fuiſſe incenſam, vt aliquis credat, tu crede: ego tam verſatilis non ſum, vt verbis Caluiniſticis agiter. Quos autem Patro-

nos præſtitêre ſeſe incolumitati ac libertati Imperij Principes veſtri? Quid emolumenti Imperio per illorum facta obuenit? Vnum per ſæculum hoc laudare habeo ex Domo veſtrâ Principem, Fridericum, Electoris eâ tempeſtate nepotem ex fratre, qui Viennam Auſtriæ, contra potentiſſimum Turcarum Imperatorem immortalibus armis pro Cæſare tutatus eſt. Huic Auſtria non parum debet, defenſa ab illo; Friderico tuo, nihil debet, vaſtata ab illo. Si Palatini tui, vti ſcribis, ferre non potuerunt, Imperium vni Domui obnoxium, & ſeruituti adſtrictum, quomodo igitur in tot comitijs ſuffragati ſunt, & tot ijs ſeruitia pręſtiterunt? Numerâſti paulò ſuprà propè omnes Auſtriacos Imperatores, qui ſuam Electionem aut alia beneficia Palatinis debent. Itáne qui honorem inuident, honorem tam amicè tribuunt? Auſtriacum odiũ, ob hanc ipſam inuidiam veſtram, non eſt proſcriptionis cauſa; iam nôſti peccatum, propter quod fulmen eliſum; vt fruſtrà ſis cùm ſcribis, cæteras *cauſas non eſſe cauſas, ſed hoſtilitatis prætextus*: neque Epiſtolæ nobis noſtræ, à vobis malo dolo exceptæ, ſimulatæ Iuſtitię laruam detrahunt: nobis cum laruis nunquam negotium, niſi quando vobis eas detrahimus. Epiſtolæ noſtræ de obſiſtendo Caluiniſtarum conatibus & pace Imperio reddenda agunt, neque tu aliud elicies.

CAMERARIVS.

Fruſtra igitur priuata cauſa Bohemica cum

Impe-

Imperij Maieſtate, & legibus de Pace publicâ confunditur. Nam ſi dictæ Epiſtolæ accuratè conſiderantur, liquidò ex illis apparet, & ſuperiùs demonſtratum eſt, Iam dudum, atque adeo ante litem adhuc de Regno Bohemiæ exortam, Monachij Bauaro à Cæſare Palatinatum vltro oblatum, & dictis condicionibus inueſtituram illius conceſſam fuiſſe. *Proſcriptio verò Palatini, toto anno & quod excurrit, elapſo, poſt cladem demum Pragenſem promulgata, quamuis longo antè tempore præparata fuerit. In effectu itaque Elector Palatinus ditionibus ſuis in Bauarum collatis ſpoliatus ante, quàm proſcriptus. Pœna in illũ ſtatuta, vbi nullum delictum; De Patrimonio, dignitate, ac ſtatu eius, inter alios conuentum, antequam vocatus eſt ad iudicium. Imò nunquam vocatus, nunquam auditus eſt. Cauſæ enim cognitioni nullus locus, vbi abſolutè pro arbitrio; & priuatæ vindictæ cupiditate, res geritur; vbi ex priuatâ cauſâ, maieſtatis crimen publicum texitur. Proſcriptio igitur hæc purus putus color eſt, & prætextus executionis ante iudicium & ſententiã facta, ne Translatio illa careret titulo, vel fuco potiùs, atq; ita in omnium odiũ incurreret. Themiſtocles olim Iuſtitiæ ſacrum facturus exclamaſſe dicitur:* O Dea, ſi quæ vſquã es! *Quid iam diceret?*

FABIVS.

Bohemicum negocium, quod tu priuatam cauſam appellas, aduerſus Imperij Maieſtatem & leges ſuſceptum eſt, vtpote aduerſus Imperij caput & alios Ordines, ad quos pertinebat & ſuæ & incolumitati capitis proſpicere. Ex Epiſtolis autem à vobis vulgatis, aut ex tua vlla demonſtratione apparere liquidò, ante litem Bohemicam cum Palatino exortam, Monachij Bauaro à Cæſare Palatinatum oblatum, aut ſuper eo quidquam actum ita falſum eſt, vt appareat, ſi aliter neſciremus, te Caluiniſtam eſſe, & Caluiniſticas veritates inuerecundo ore profundere; neque in effectu, vti tu loqueris, Palatinatu Fridericus ſpoliatus eſt, antequam proſcriptus, aut pæna ſtatuta, antequam delictum. Quàm immaniter autem rurſus os pandis, cùm ais, nunquam Palatinum vocatum, nunquam auditum, nullum cauſæ cognitioni locum datum, pro arbitrio & vindictæ cupiditate rem geſtam; tu certè pro audaciſſima libidine quiduis contra Cæſarem effutis. quiduis etiam paſſurus, ſi Cæſaris ira linguæ tuæ, proteruiam æquaret. Quòd ſi impunè tam atrocia conuitia in ſummum Imperij caput iacta tuleris, exclamabimus pariter illud Themiſtoclæũ. *O Dea Iuſtitia; ſi qua es vnquam!*

CON-

Digitized by Google

CONSIDERATIO X[a].

CAMERARIVS.

SEd Pacis etiam publicæ deſiderium vbique ferè inculcatur, vt tegatur belli religionis cauſa ſuſcepti inuidia. *Plus autem valet, quod agitur, quàm quod ſimulatè concipitur, gemente ac tremente Germaniâ.*

FABIVS.

Rectè inculcatur deſiderium pacis, quam Catholici quæſiuere: vobis deſiderium belli vterum rupit: peperiſtis, ſed infelicem partum. Nos ſimulatè nihil concepimus, ſed vobis tectim diu intumuere viſcera; & parâſtis regnum ſeditione adornatâ, atque altâ, quod occuparetis.

CAMERARIVS.

Potuit cauſa Bohemica, vel Amicabili tractatu componi, vel Iure legitimo decidi. quod vtrumque Elector Palatinus ſemper expetÿt, vt ex multis ipſius conteſtationibus liquet. Iuris etiam tramite finitam eſſe hanc controuerſiam, Imperÿ ſanè propter caſus futuros plurimum intereſt. Potuit deniq; illa vel armis finiri in ipſa Bohemia, vbi bellum captum.

FABIVS.

Ad quod tempus, Camerari, vis pertinere hanc com-

compoſitionem? poterátne cauſa hęc vel tractatu, vel iure componi, antequam tuus Princeps inauguraretur? ſi poterat; quis vos Genius agitauit, vt armis veſtrum faceretis, quod compoſitione licuiſſet? Si nos malè fecimus, vti arguis, arma præferendo compoſitioni, & vos malè feciſtis, exemplo præeundo. Si autẽ ad ius appellas, poſtquam pedem in poſſeſſionem regni intuliſtis, riſum moues. Quęſo quę pacta iniuiſſes? à quo & quam ſententiam acceptâſſes? nullam certè audîſſes, niſi quę tibi poſſeſſionem vſurpatam confirmâſſet. Ergo quod tum fieri debuiſſet, prudenter antè factum eſt; & ius regni ferro vindicatum, quia ferro ablatum erat. Quòd autem inquis vos expetijſſe compoſitionem, ſi non ſimulatè loqueris, ſimulatè eam in publicum Palatinus expetijt. Iam deuorauerat cupidine regnum, cùm præ ſe tulit compoſitionem, quam nunquam futuram præuidebat; impedimenta ſi alia non eſſent, poſiturus ipſe. Legite artificia veſtra in Cancellaria Anhaltina, & aliquid diſcite, nos in ea iam doctiores euaſimus, quàm velitis. Si Imperij interfuit hanc controuerſiam Iuris ordine finiri, veſtra culpa eſt, quòd arma cæperitis, atque etiam extra Bohemiã produxeritis, vt vana iam tua vota ſint, quibus Marti cancellos intra Bohemiã deſcribis. Vos Bohemiâ exîſtis, nobis quoq; libera cum armis via fuit.

CAMERARIVS.

Verùm enim verò non tantum illud ad Regni

illius

Digitized by Google

illius recuperationem continuandum; ſed nouum etiam, ad Palatinatum Bauaro acquirendum, incipiendum, & totum Imperium perturbandū fuit; vt promiſſis Monacenſibus ſatisfieret, & Romano Pontifici, qui translationem Palatinatus vrget: Simul vt extinctâ hæreſi plantetur in Palatinatu Religio Papalis: Et tandem, vt hac ratione Imperium Romanū Domui Auſtriacæ, ad ſimilitudinem Regni Bohemiæ, fiat hæreditarium. Hæc enim omnia, tanquā in ſpeculo, in Epiſtolis ſubiectis intueri licet.

F A B I V S.

Noſtra arma quibus nos induit neceſſitas eò ſpectârunt, vti rebelles compeſcerentur, & recuperatis, quæ à Cæſare defecerunt, Prouincijs, Ordines Imperij in tuto viuerent. Quia verò caſus aduerſus vos turbulentiores reddidit, nouóſq; fluctus concitaſtis, nobis quoq; progrediendum fuit, ac nidus ipſe cum pullis ſubuertendus. Poſt victoriam Pragenſem victus tuus Princeps altiores ſpiritus geſſit, noua auxilia conquiſiuit, infeſtior Cæſari, quàm antè vnquam. Quando apud illum facti pœnitentia? quando vox audita errati? quando veniæ petendæ mentio? quando Cæſaris gratia implorata? Cùm admoneretur à Principe viro, vti Cæſaris clementiam experiri mallet, quàm alteram belli fortunā tentare, cùm fideret Durlachianis armis, iamq; in propinquo exſpectaret exerci-

ercitum Halberſtadienſis, reſpondit non eſſe iam tempus ſeruilis huius ſubiectionis; arma & viros ſupereſſe, qui virtute recuperaturi ſint, quæ flagitioſo precum ambitu, aut ægrè, aut indecorè obtenturus eſſet. In Palatinatum noſter miles iuit, non vt Electoratum Bauaro armis vindicaret, ſed vt profligarent Mansfeldium, malum Bohemiæ & meditantem, & inferentem; atq; hęc eadem poſtmodum cauſa traxit Bauarum in Palatinatũ inferiorem, quia & ibi Mansfeldius in Catholicos infeſtis ſignis duxit, ac latè omnia populatus in ipſa quoq; tecta flammis ſæuijt. Quoties autem tu promiſſa Monacenſia, quæ nulla fuêre, exagitas? Pontifex Romanus pro charitate, quâ Imperium amplectitur, non iniuriâ petere à Cæſare potuit, vt furiam hanc Caluiniſticam ad pacem orbi reducendam ex Imperio exterminaret, reditumq; intercluderet. Nihil in conſilium venit de Hæreſi extinguenda, ſed de Caluiniſtis bellum cientibus comprimendis; neq; Catholicorum eſt, ſuam religionem armis propagare; vos Caluiniſtæ concionari bombardis ſoletis, quia virtutum exemplo parum confiditis; nullum habetis. Ferdinandus Cæſar Auſtrius victoriâ perennitatem Imperij in poſteros non habeat; pacificè tamen eo potietur, compreſsâ rebellione veſtrâ. Licere autem omnia intueri ex Epiſtolis, à te dilaudatis, quæ hîc percenſuiſti, intuenti clarebit te conſuetâ arte fallere.

CAMERARIVS.

Cum

Cùm talia conſilia ſunt inita de transferendo Palatinatu, dubitari non potuit, ex ijs atrox & diuturnum bellum in Germania exoriturum, & vel ad poſteros etiam perpetuaturum eſſe: partim quod Euangelici Electores Statúſq; Imperij, tranſlationem illam, metu periculoſiſſimæ conſequentiæ, nunquam æquo animo laturi; quod de Saxonicis, Epiſtola ad Zunigam non diſſimulat: partim quòd Reges Magnæ Britanniæ, & Daniæ, aliiq; vetuſtiſſimæ Palatinorum familiæ cognati Principes, minimè permiſſuri eſſent, tam indignè ſpoliari antiquiſſimo Patrimonio Electorem Principem, & tot innocentes eius liberos: Fratrem etiam Germanum iniuſtiſſimè ſuo quoq; ducatu exutum: & cæteros agnatos ferè in eodem verſari periculo.

F A B I V S.

Conſilia de transferenda in Bauarum Palatini dignitate ſunt inita, poſtquam meruiſtis vt transferretur; & præcipiebatur ſine dubio tunc animis, id non ſine magno rerum motu futurum; ſed occurrebat contrà etiam, maiore cum periculo Palatino reſtituendum, quòd Caluiniſtis nec victoribus, nec victis fidendum; his enim neſcio quo ſpiritu inditum, vt tumultum ex tumultu cieant. Itaq; ſi motus eſſe neceſſe eſt, minores ſint, & quieſcant Caluiniſtæ alibi terrarũ. Bellum propterea ad Po-

ſteros non erit, etiamſi quidam obliquis oculis intueantur Palatinæ dignitatis ſucceſſorẽ; dies mitigabit omnia, ſicut etiam placabit Angliæ & Daniæ Reges, idem omnino cum Cæſare facturos, ſi aut Anglia aut Dania ipſis eriperetur. Valet certè lex illa, quod mihi voluiſti facere, habes; neq; indignè ſpoliatur, qui ſpoliatum alios iuit. Subit hîc mentem curioſa percunctatio Camerari, quam tibi ſoli in aurem inſuſurro, eâ lege, vt ne tu altùm clames. Quid cauſæ eſt, quòd tantum indigneris ſeditioſo & profugo Principi reditum à Cæſare intercludi, cùm Rex Angliæ quoq; profugi Socer, viam eidem in Angliã non aperiat? tumultum haud dubiè, aut ſeditionem à turbido eius ingenio & regum hoſte metuit; præſertim cùm non neſciat, acerbè eum ſauciatum à certa Matrimonij Hiſpanici fama, quæ illum aut deſperare iubet, aut fanda infanda tentare. Inueniret in Anglia Puritanos nonnullos, ſocios doloris ac furoris, ſi veniret. Si Regi Angliæ fas eſt arcere hominem, quietis publicæ causâ, cur vitio Cæſari detur eundem expertæ iam rebellionis Principem excluſum velle? Palatinus certè in lucro ponere poteſt, ſe vel nudum extra Imperij fines viuere. Quid enim arbitraris Cæſarem in eum decreturum, ſi incautum deprehendat? ego nec quidquam ſcio, nec quidquam diuino. Sed veſtra exempla, facilè exempla pariunt. Quid Mariam Stuardam, Sanctiſſimam Reginam, Iacobi Regis in Anglia Matrem, paruulorũ Palatinorum Proauiam gladio obie-

Digitized by Google

cit, quàm affectati Regni affectata ſuſpicio? Hoc certè vnicum prætextum Eliſabethæ fuit, cùm parem fœminã, iuris ſui principem contra fas mori coëgit. Sancta hæc Regina non ſcelus, ſed quæſitam ſuſpicionem, aut aliud, quod dicere nolo, capite luit. Quid de tuo futurum eſſet Principe affectati regni, imò occupati comperto, ſi exemplum ſequi placeret? Rex Angliæ certè, ſi res eo in regno Palatinus nouare tentâſſet, non immeritò dixiſſet; Qui innocentem matrem meam enſis percuſſit, Generum potiùs feriat nocentem. Sed digitis compeſcamus labella Camerari, ne audiamur, & alij audeant.

CAMERARIVS.

Sed audendum fuit, reiectis eiusmodi difficultatibus omnibus, & (vt in allegatâ Epiſtolâ ſcribitur) Diuinæ prouidentiæ, quàm humanæ prudentiæ maior habetur ratio: *ac ſi Deus ipſe delectaretur iniuſtitiâ. Igitur atrox ac crudele bellum in media Germania captum: Introductus in Palatinatum ad Rhenum Marchio Spinola, cum externo milite; Homo Italus, inaudito exemplo, in caput Germani Electoris Commiſſarius Cæſareus conſtitutus: Ludouicus Philippus, Comes Palatinus, Dux Simerenſis, pupillus, abſens, ſpoliatus omni ditione ſua, ita vt ne ad alimenta quidem teruncium ex illa percipiat. Eadem fortuna inuoluti alij etiam vicini Principes, Comi-*

tes, & nonnullæ Ciuitates Imperiales: Viduæ etiam Electorales, & aliorum Principum: Nobiles deniq; Imperij infiniti: vt de miſera plebe, quæ rapinis exhauſta ſtipem iam colligit, & deuaſtatâ atq; incendijs deformatâ florentiſſimâ Germaniæ parte, nihil dicamus. Et hæc quidem omnia contra ipſius Cæſaris, aliorúmq; quas vocant, Sincerationis, *vel* Securitatis *litteras.*

FABIVS.

Mitiùs mihi, vt video, deinceps agendum, quia ipſe ea, quæ ſuprà perperā ſcripſiſti, hîc emendas. Suprà Conſid. 1. pag. 4. Cæſaris verba ex Epiſtola 18. ita retuliſti. *Nec reſpiciendum hîc ad vllas rationes humanas, ſed tantùm in Deo confidendum*, hîc ita & verè refers, *Diuinæ Prouidentiæ maior eſt habenda ratio.* Confer iam ſodes, quia tam bellè referre nôſti. E'ſtne idem non eſſe reſpiciendū ad vllas humanas rationes, & maiorē rationem ducendam eſſe Diuinæ prouidentiæ, quàm humanę prudentiæ? Dicam eodem modo potiùs Sculteto credendum eſt, quàm Camerario, hoc eſt, iuxta tuam primam verborū narrationem, nihil credendum eſt Camerario, ſed omnia Sculteto. Deum iniuſtitiâ non delectari, vos veſtro exemplo nobis documento eſtis; quia enim vobis rapinam admirandâ poſteris victoriâ manibus excuſſit, hoc viſus eſt vobis Caluiniſtis dicere. Diſcite

Iuſti-

Iuſtitiam moniti, & non temnere Diuos: certè cùm vos contra Iuſtitiam regnum occupâſtis, Scultetus, vt & ipſe bellatorē ſe oſtenderet, templa expugnauit, ſacrúmq; præſidium, Diuorū nempe ſtatuas, cecîdit. Iterum ingemino. *Diſcite Iuſtitiā moniti, & non temnere Diuos.* Sed atrox & crudele bellum in Germania cęptū: ſcimus hoc, mi Camerari, tu ſentis; & quidem meritò, quia cum tuis cœpiſti. Nos in campis vos armatos inuenimus: At inaudito exemplo introductus eſt in Palatinatum Spinola; imò verò vocatus eſt, & quidem veſtris bombardarum bombis, etiam in Belgio auditis. Quid? hoc exemplum inauditum eſt? præſcribes tu Cęſari, quo exercitu, & quo belli Duce vtatur? Spinola vobis eò inuiſum nomen, quò plura eius contra Caluiniſtas & rebelles extant trophæa. Spinola nunquam in Palatinatum mouiſſet, niſi vos mouiſſetis in Bohemiam. Quid eum Domi ſuæ concludatis, cùm vos Domi veſtræ non maneatis? Heu quanta mala patrauit Spinola! quæ oro te, quæ? putas tu Exercitū venire vt ad ciuitates agat excubias? ciues tueatur? annonam inferat? hoſtium terram colat? theſauros adferat? Graues hoſpites, mi Camerari, milites ſunt, & idcirco non inuitandi, quod vos feciſtis, aut certè tolerandi. Spinola certè inter alias egregias laudes, etiam hoc Encomio celebratur, quòd diſciplinam militarem ſeuerè regat. Et ſcire debes, Camerari, nullam diſciplinam belli incommoda tollere; ius Martis eſt nocere hoſti. Quæ verò fecit

Spino-

Spinola in Caput Germani Electoris Commiſſarius conſtitutus? *Spoliatus ab eo Ludouicus Philippus, Comes Palatinus, Dux Simmerenſis, pupillus, abſens, omni ditione ſua*, Rhetorem lacrimantem audire videor. Non probas Commiſſarium hominem Italum? quaſi verò benigniùs ferres, ſi Germano Duce capta fuiſſet Palatinatus illa plaga; vulnus vobis dolet à quocunq; infligatur. Etiam Bauari Germani Ducis ferrum accuſatis, nullius vnquam probaturi gladium in vos ſtrictum. Quid tu autem hîc Caluinianâ ſcuticâ exagitas, quòd homo in Germania hoſpes, homo Italus bellum Palatino intulerit Spinola? fecit id authoritate Cæſareâ, fecit id copijs Imperij Principis, agnati Principis, domeſtici Principis. Vos quò iuiſtis vt aduerſus nos hoſtes ſollicitaretis? Noſtíne Mahumetanam in Thracia Portam? Portam, inquam, illam Chriſtiano nomini funeſtam? hanc pulsâſtis iterum; iterúmq;; dicámne plura? Quis eſt Gabotius ille Camerari? nónne exterus? nónne Turcę Beneficiarius? hunc vos in caput Domini veſtri, in perniciem Cæſaris, in excidiũ Imperij induxiſtis armatũ, pelliciente illuſtriſſimo militiæ ſtipendio, Imperij ſcilicet Septemuiratu, vt perfunctus bellico labore & ſtratis impio Marte Catholicis in ampliſſimo illo ſenatu, vel tanquã octauus ſapiens ſederet, vel adulter tanti honoris. Verùm ne quem iniuriâ afficiam, fatebor vobis volentibus Gaborem non adeò exterum, ſed magis domeſticum, nam Palatino tuo &

Domi-

Digitized by Google

Dominus frater, & Compater eſt; hâc enim verborum pompâ Palatinus in recentibus (datæ ſunt 3. aut 13. Iulij Anno 1623.) litteris eum appellat, & ad nouam Germaniȩ vaſtationem mirifico adulationis genere inuitat; tantæ nimirum ob priora facta pœnitudinis impletum pectus gerit. Ad miſerationem mouendam Ludouicum Philippum in medium adducis, ſuo ducatu deiectum: Inflecterer humano affectu, ſi ipſe aduerſus alios Principes humaniùs egiſſet; Neſciebátne Wradiſlauienſem Epiſcopum eſſe Carolum Auſtrium? Sciebat probè, & tamen Epiſcopi nomen dignitatémq; per nefas vſurpauit, deuoraturus etiam Epiſcopatum Olmucenſem, niſi bolum eripuiſſent æternæ memoriæ arma; quæ quis alteri facit, experiatur & ipſe. Deinde nónne Princeps Ludouicus fratrem regem in eo regno agnouit, vbi Cæſarem debebat: arriſit & illi Corona Imperatorio capiti detracta. Si pupillus fuit, & alienæ poteſtatis, tutores culpam præſtent; permittere non debebant, vt fraterni facinoris particeps fieret. Demum cur Cæſaris hoſtibus ex ipſius terris aduectus commeatus? Mansfeldius ſolius huius cauſȩ prætextu, Epiſcopatum Spirenſem omni belli clade vexauit, vt taceam clauſas iiſdem in locis exercitui Cæſareo vias. Hæc talia hoſtis factitare conſueuit, quid igitur mirum ſi paria paſſus ſit? Alij ſeu Principes, ſeu nobiles, *infiniti*, vt tu ſcribis, ſi quid damni acceperunt, *etiam contra litteras Securitatis*, communem Martis

ſortem ferant; in magna inundatione iuſtis aluéis flumina non coërcentur, quantumvis munias; vndæ ſuperatis ripis vicina operiunt.

CAMERARIVS.

Interim Bauarus, cum S. Ligæ exercitu, quaſi contra Turcas ille paratus eſſet, ſemper occaſioni intentus, tandem, inſuper habita Vlmenſi tractatione, in vtrumq; Palatinatum inuolauit: Et res in eum ſtatum iam peruenit, vt hoc incendium iam totam Germaniã comprehenderit. Interim ſpe certæ pacis & reſtitutionis Palatinatus, Vniti diuellendi, & ad arma ponenda perſuadendi fuerunt: Sed S. Liga ſuũ in hodiernũ diem retinet exercitum ſub Bauari ductu, vt Palatinatu oppreſſo alij etiam Status Euangelici, paulo poſt in ordinem redigantur, Ita vt ne liberi quidem illorũ patrimonia amiſſa recuperaturi ſint, niſi fiant Pontificij, ex conſilio Cardinalis Ludouiſij. *Quid hîc aliud, quàm bellum ex bello metuendum, non noſtra tantum ætate, ſed etiam ex oſſibus defunctorum, ab illorum poſteris?*

FABIVS.

Etſi tu ludas in appellatione S. Ligæ, ego tamen tibi appoſitè excidiſſe vocem *Sancta* autumo; nam liga etſi non aliâ causâ mereatur hoc nomen, iure tamen habet, quod Maſtix ſit tam prophanæ Caluiniſtarum militiæ.

tiæ. Electoris Bauari exercitus contra hoſtes Imperatoris paratus eſt, hoc eſt, contra vos Caluiniſtas, & parum abeſt, vt fatear contra Turcas paratum eſſe, tum quia in auxilium veſtrum Turcas vocâſtis; tum quia Turcarum vicarios agitis; deſidentibus enim illis in pace, vos bello omnia miſcetis. Satis à Turcis fatigamur à vobis fatigati; iam ſuprà linguam tuam contudi, quòd edicere audeas Vlmenſe fœdus à Bauaro ruptum; vos rupiſtis, nec porrò tenebatur illo amplius Elector Bauarus: quare in vtrumq; Palatinatum inuolare potuit eò etiam magis, quòd Cæſaris mandatũ acceſſerit. Incendium quod totam Germaniam comprehendit, veſtris flammis excitatum eſt. Mansfeldius multis terris facem iniecit. Halberſtadius & ipſe per Epiſcopatus Germanicos tædas ſparſit, hinc totum incendium. Nos in Germania Palatinatui tantùm arma intulimus, etiam huic parſuri, ſi in tempore obſtinacia veſtra flecti potuiſſet, vt & arma poneret, & ab offenſo Cęſare veniam poſtularet. Diuulſi Vniti ſunt, cuiuscunq; tandem arte, ne maiora incommoda Imperio obuenirent, atq; ſe ſuáq; periculo eximerent. Multa illis vos incitamenta dediſtis huius conſilij capiendi, & apparebat manifeſtè Diuos etiam coniurâſſe in vos, Diuorum hoſtes. Ad Syrtes ac Scyllas, quas video, clauum non dirigo; placet portus, & tuta pacis littora. Bauarus in hodiernum diem exercitum retinet, quòd in hodiernum diem eoſdem animos vos, eoſdem ſpiritus geratis; & quod cuſtodi-

 ſtodi-

Digitized by Google

ſtodienda illa ſint, quæ armis obtenta ſunt, donec Cæſar de reis reorúmq; fortunis diſceptet. Vanitas autẽ tua eſt, quòd retineri exercitum dicas eo fine, vt & alij Euangelici in ordinem redigantur. Per nos immortali pace gaudebunt qui Auguſtanæ Confeſſionis ſunt; ſed ſine vobis. Quæ eſt autem tua impudentia, cùm inquis nobis deſtinatũ, ita in ordinem redigere Status proteſtantium, vt ne liberi quidem illorum patrimonia amiſſa recuperaturi ſint, niſi fiant Pontificij ex conſilio Cardinalis Ludouiſij. Súſq; déq; habes, Camerari, ſeu hoc, ſeu illud loquaris, modò Catholicis incom̃odes: Primò enim de Proteſtantibus nullum conſilium à Cardinali ſuggeſtum eſt; ſolùm Palatini liberos in Caluiniſtica religione perſeueraturos ab hæreditate excludendos ſcripſit. Et tu ſodes quàm te ipſe tuóſque expugnas, atq; ingenuè fateris te alibi iniurioſè traduxiſſe Cardinalem: ſuprà Conſid. 2. pag. 6. hunc in modum Cardinalis verba recitâſti, *vt etiamſi hoc fecerit* (Palatinus) *tamen ne liberi quidem ipſius aliquid ex patrimonio* antiquo recipiant, quamuis Pontificiam religionem amplexi fuerint. Idem tibi rurſus eſt, *Nihil accipiant filij, ſi non fiant Pontificij, &; nihil accipiant etiamſi Pontificij fiant.* Potéſtne eſſe clarior contradictio? Loquentem, vti tu loqueris, oportet eſſe memorem, ſcis quid velim. Bellum futurum tam diuturnum, vt etiam olim ex oſſibus mortuorum noui milites enaſcantur, te ſolo vaticinante, nul-

lus

lus credo: eſſent fortaſſe æterna bella, ſi vobis æterna arma; Religio enim veſtra ab ortu ſuo caſtra caſtris perpetuauit, & iam vel hodie nulli mortalium per Europam Reges ac Principes ſuos bello laceſſunt, quàm vos Caluiniſtæ. Deſcripſit ante vos ortos, ortum veſtrum poëta, cùm canit

Tunc cædes hominum generi, tunc prælia nata,
Tunc breuiter diræ mortis aperta via eſt.

CAMERARIVS.

Et quamuis hæc ita ſe habeant, tamen nihil illis ferè, niſi dulce Pacis nomen in ore. Litteræ adeo Cæſaris ad Dominum Digbyum 27. Octob. Anno M.DC.XXI. *Viennæ ſcriptæ hoc exprimunt: cùm paulo ante, nimirum 15. eiusdem menſis, illa in Hiſpaniã Epiſtola*, Aſſertioni poſteriori è diametro contrariæ *exaratæ fuerint. Non minus ardens Pacis ſtudium præ ſe fert Bauarus in ſuis ad eundem Digbyum literis*, Quaſi admodum inuitus, tantum vt Cæſari obediat, hoc bellum gerat. *Nunquid igitur hîc locum habet illud Prophetæ!* Sanabant contritiones filiæ populi mei ad ignominiam dicentes, Pax, Pax, cùm non erat Pax.

FABIVS.

Diuerſa ad diuerſos diuerſis temporibus ſcripſiſſe Cæſarem noli mirari Camerari, tempus cogitationes va-

riat, ſi poſterioribus litteris pax bello prælata eſt, habes quòd laudes pacificum Cæſaris animum; Eandem præſo tuliſſe Electorem Bauarum Ducem in litteris ad Baronē Digbyum nulla ſimulatio fuit; ſed quia apud Mansfeldium bellum pace potius fuit, perrexit Bauarus perſequi hoſtes. Poſtremam Conſiderationis huius particulā ſine dubio ſuggeſſit Sculcetus, quia Eccleſiaſtica eſt, & ſępiùs de ſuggeſtu iactata. Catholici diximus, Pax Pax, cùm non erat Pax; planè ita eſt, vt loqueris, nam cùm Pax Pax diximus, vos bellum perpetuâſtis, & ita non erat pax. Incipite priores canere: *Nulla ſalus bello, pacem te poſcimus omnes.* perſonam echonis ſuſtinebimus, referemúſque totidem verba.

CONSIDERATIO. XI^a.

CAMERARIVS.

COmmodè *etiam hîc conſideremus*, Quàm inſigniter Reges quidam ac Principes ſub ſpe promiſſæ Pacis circumducti fuerint: *qui metu alicuius exitioſa conuerſionis in Orbe Chriſtiano, maximè cùm illo ipſo tempore Sultanus Turcicus, cum potentiſsimo Exercitu in Poloniam moueret, apud Cæſarem tot Legationibus ac Litteris ſeriò interceſſerunt. Legantur Epiſtola illa in Hiſpaniam ſcripta, & conferantur cum reſponſis Baroni Digbyo datis, comparentur*

cum verbis & pollicitis, triſtiſsimi rerum euentus. Facta *enim fuit etiam certa* induciarum ſpes, in vtroq; Palatinatu; & promiſſa in Superiori, Executionis ſuſpenſio; & bellum renouatum non iri, niſi tribus illud menſibus ante Regi M. Britanniæ denunciaretur. *Aſſeruerũt etiam Conſiliarij Cæſaris Domino Digbyo ſæpius.* Bauarum à Cæſare nullam accepiſſe vlteriorem Commiſſionem pro banni executione, nec etiam accepturum eſſe.

F A B I V S.

Illuſos oſtenſâ ſpe pacis Reges aliquot affirmas, quos non oportebat: curas illi tum maximè ſuſceperunt boni publici, cui non mediocre periculum imminebat ob vicinitatem Turcæ potentiſſimi hoſtis, qui formidabili cum Exercitu aduerſus Poloniæ Regem bellum gerebat: atq; hoc vnicum, ſi qua Chriſtiana cura noſtrum pectus occupâſſet, mitigare debebat animos noſtros vindictæ plenos, & à pace alienos. Admodũ pia hæc eſt Caluiniſtica exhortatio; quam ipſimet vilipenderunt; Si enim Turca tam exitialis eſt Chriſtianitatis hoſtis, cur eum in capita ac fortunas noſtras, miſſis Oratoribus ad Conſtantinopolitanam Portam ſollicitârunt. Si ipſis annuentibus venire eum abſq; periculo Germaniæ viſum, quidiam trepidârunt, quando inter nos adhuc tot terrarum interualla, & fortiſſimus Magni Regis exercitus quaſi inexpugnabilis murus, progredientem cohibuit, imò

etiam

etiam retrò fugauit. Vix certè credibile eſt à Caluiniſtis Turcas timeri, cùm inter eos maior neceſſitudo & vſus, quàm inter Catholicos & Caluiniſtas.

Serpentum maior concordia, parcit
Cognatis maculis ſimilis fera, quo nemore vnquam
Expirauit aper maioris dentibus apri.
Indica Tigris agit rapidâ cùm Tigride pacem
Perpetuam, ſæuis inter ſe conuenit vrſis.

Ad Epiſtolas in Hiſpaniam ſcriptas, iam ſuprà reſpõdi; mutatis dierum interuallo rebus, & animi & conſilia mutantur, præſertim quando hoſtis promiſſa ſunt deſultoria. Nihil ſeruantibus, nihil ſeruatur. Conſiliarij Cæſarej, qui Digbyo aſſeruerunt nullam vlteriorem Cõmiſſionem pro Exequutione Banni Bauaro datam, haud dubiè id aſſeruerunt, antequam Cæſar daret: ſuperuenêre enim pòſt aliæ cauſæ, quæ Cęſarem ad mitiora pronum, rurſus irritârunt.

CAMERARIVS.

Sed nullo vnquam tempore de continuatione belli diligentiora conſilia habita, aut præparationes accuratiores ad illud factæ. Simul Regi Hiſpaniarum per Zunigam denunciandum fuit, Cæſarem ſemel conſtituiſſe, transferre in Bauarum Palatinatum, vt ijs, qui eius reſtitutionem à ſe importunè flagitarent, ſpem omnem prorſus adimeret. *Et quamuis in ſpeciẽ*

aliud ad infantem ſcriptum, atq; Legato Britannico communicatum, ſimul tamen eodemque tempore contrarium omnino illi mandatum, De non conſentiendo Inducias, ſed bello potius perſequendo (quod etiam Conſaluo Cordubenſi iniunctum) tranſmiſſum fuit: quod fatetur Infans, in Reſponſo Domino Digbyo Bruxellis tradito.

F A B I V S.

Quòd conſilia eo tempore crebriora de bello proſequendo fuerint, Duces bellici veſtri effecêre, quibus pax colenda in poſtremis, nocendi animus promptus. Infeſtabat Bohemiam Mansfeldius, exercitum Principis Bauariæ adoriebatur, ex mille iuramentum nullum præſtaturus. Halberſtadius alibi militem cogebat in perniciem Cæſaris ac Bauari; quid hi facerent? pergendum erat in pergentes. Neque tamen Cæſaris litteræ ad Hiſpanum ſcriptæ inducijs officere poterant, ſignificabant enim tantùm conſilium Electoralem dignitatem conferendi Bauaro, quod aduerſus induciarum promiſſionem non erat. Neque enim quando poſtulabatur à Digbyo, vt arma interquieſcerent, etiam poſtulabatur, vti omnia Palatino in futurum manerent integra; certè hoc neq; ſpe, neque re promittebatur: falſum autem eſt ſimul eodémque tempore, aliud ad Infantem Sereniſſimam Bruxellas ſcriptum, & aliud mandatum. Dedit enim Cæſar ad Infantem litteras, quibus poteſtatem fecit ſanciendi

X cum

cum Anglo inducias anno 1621. 12. Septemb. At Infans 8. demum Nouemb. Digbyo per memoriale, vt vocant, ſignificauit ſibi integrum ampliùs non eſſe de inducijs paciſci propter poſtremas Cæſaris litteras, quæ quia veſtri diuerſiſſima à pace fecerant, diuerſiſſimæ à prioribus erant, vt ex memoriali iam nominato liquidiſſimum eſt.

Consideratio. XII^a.

CAMERARIVS.

Obſeruandum & conſiderandum vlteriùs, quomodo hæc conueniant. Non tantùm in reſolutionibus Anglico Legato datis, Regis ipſius egregiæ virtutes, inſignis animi moderatio & amicitiæ ſinceritas *prædicantur: ſed in litteris etiam ad Infantem* Zelus Regis erga iuſtitiam inſignis *valde celebratur. Sed quid in Epiſtola ad Zunigam ſimile? Quin potiùs in illâ, omnis Regis M. Britanniæ interpoſitio, omnis ſponſio, apertè reijcitur. Vide ſis illa verba:* Sponde bítne Angliæ Rex? at eâdem religione, *id eſt, eâdem perfidia, nam paulò ante dictum*, Nullam iuramenti ſanctitatem, Caluiniſtis, quos vocant, eſſe. *Et vbi eadem religio Angliæ regi tribuitur, ratio additur,* Quod vbi occaſio patrandi ſceleris detur, læſę fidei prętextus facilè obduci poſſit. *Quid hîc Rex ille ſapientiſſimus?*

tiſſimus? Pulchrum effatum eodem loco ſingulari fato adiectum legitur: qui credidit, contemnitur.

F A B I V S.

Debet tibi Cæſar multum, Camerari, ob verborum ſuorum explicationem tam beneuolam & argutam. Cęſar in litteris ad Infantem, M. Britanniæ Regem ab animi moderatione, amicitiæ ſinceritate, aliiſque virtutibus laudat, alibi autem Religionem Caluiniſtarum ac promiſſi fidem, vti vacillantem metuit. Quæro hîc abs te, Camerari, an tu putes Cęſarem, cùm Regem, laudauit ex animi ſententia laudaſſe? ſi putas; fruſtrà alia verba litteris Hiſpanicis inſerta traducis; ſi non putas; obſeruare deſine quomodo hæc conueniant, ſimulatè enim alicuius virtutes laudare, & apertè vitium eius ſuſpectum habere, imò etiam reprehendere, apprimè conuenit, quia neutrum in laudem cedit.

Vtrumque Cęſar minimè fucato animo veriſſimè ſcribere potuit; nam in epiſtola ad Infantem de rege ipſo ſcripſit, in Hiſpanica verò de Rege Conſiliarijs, tibi ſimilibus ac ſpiritu Caluiniano turgidiſſimis obſeſſo, qui arte conſuetâ ac Geneuę fabricatâ affectus Principum iam metu, iam ſpe, iam falsâ rerum narratione impellũt, vti non raro præter æquum aliquid, aut decernant, aut reſcindant, non mutabilitate rectę virtutis, ſed adducti vafris delinimentis Conſiliariorum, quibus vnus apud Principes labor, quis tectiſſimè fallere, & pręcipitare ho-

 ſtem

ſtem in exitium poſſit, *Dolus an virtus quis in hoſte requirat?* Sed ignoſci tibi non poteſt, Camerari, quòd Cæſaris verba, *(at eâdem Religione)* interpreteris eâdẽ perfidiâ; quaſi Cæſar M. Britannię Regi notam perfidię inurat? Quando Cæſar ſcripſit Caluinianam ſectam, nullam fraudem, nullum ſcelus putare, quod pro eorum religione patretur: haud multò infrà poſtmodum addit eiuſdem Religionis eſſe Regem, in qua ſemper aliqui, qui dolos nectunt, aut technis occultis rectas mentes, ad committendas fraudes inducant; itaque Cæſar nullâ perfidiâ Regem notauit, ſed eius Religionis eſſe dixit, cui tutò fides haberi non poſſit, ſeu proprio, (quod Regi Cæſar non adſcribit) ſeu alieno vitio, præſertim cùm Camerarij ad cancellos cum imperio ſedent; quibus hæc prima doctrina, quâ Regum aures incantant.

Sanctitas, pietas, fides, priuata bona ſunt.
Quâ iuuat Reges eant.

CONSIDERATIO XIII.a
CAMERARIVS.

Verum nunquid maiori reſpectu Lutheranos Principes, & inprimis Sereniſſimum Saxonię Electorem, dignantur? Nihil minus. Poſt principia collocantur. Illi confecto negotio, & introducto per vim in Palatinatum Bauaro, atque ſimul Papatu latè Ieſuitarum operâ diffuſo, facilè quieſcent, nec idcirco bellum mouebunt: Non

ſunt

ſunt illi adeo Zelotæ, vti olim maiores ipſorum ob religionem Luheranam, vt infinitam Lutheranorum multitudinem, quæ hodieque in vtroque Palatinatu liberè vixit, & ſuæ etiam confeſſionis exercitijs gauiſa eſt, exſtirpari, & mox tragœdiæ huius poſtremá ſcenam ſibi quoque paratam, iniquo animo admiſſuri ſint. *Hoc enim Epiſtola ad Zunigam pro indubitato præſupponit. Et Cardinalis Ludouiſius ſimiliter innuit*; Occupato ſemel Palatinatu, nullas ampliùs difficultates metuendas eſſe. *Epiſcopus autem Caraffa, Nuncius Viennæ*, Saxonem omnino metuendum non eſſe affirmat, nec magni æſtimandam ipſius potentiam.

FABIVS.

Legatione te fungi arbitraris, & verba apud tui admiratores cum oſtentatione profundere. Quę hîc adfers, ita adfers, ac ſi ex Epiſtolis malo dolo ſurreptis excerpſiſſes; ſed oſtende ſis epiſtolas ipſas, & ruborem vnâ; rarò malas tuas inficit virtutis hic color, depuduiſti; Nemo quidquam de extrema tragediæ ſcena in Confeſſioniſtas parata ſcripſit; Vos nobis extrema ſcena eſtis, quia nos prima vobis fuimus. Priuilegia, quibus apud vos Confeſſioni Auguſtanæ adhęrentes fruuntur, ego mihi non depoſco: quibuſdá in locis omnino inhonori ſunt, & propè non aliter habentur, quàm apud vos lictores, quibus omnis ad honores, & munera publicà interceptus eſt aditus. Sed dic ſodes, vbi ad Rhenum veſtrum

ſuæ religionis exercitijs gaudet plebs Lutherana? In ſuperiore terra ſpecies aliqua Lutheraniſmi ſuperat: Miniſtri in verba Caluini iurant, & Lutheranam concionem erudiunt: ô quam ſpecioſi pedes Euangelizantium. Palatinatu autem occupato nihil amplius eſſe metuẽdum, & ego iudico, quia Caluiniſtæ ſua brachia amiſere, Confeſſioniſtę ſua in nos librare non ſolent, his enim

De meliore luto finxit præcordia Titan.

CAMERARIVS.

Cæterum in prolixâ Epiſtolâ ad Zunigam de Saxoniæ Electore peculiaris inſuper ratio exprimitur: Nempe, Accuſare nequit, quod in Electore Mauritio ipſe probat. *Atqui vt alias circumſtantias prætereamus, toto cœlo ille res à tranſlatione Palatinatus in Bauarum diuerſa. Joan. Fridericus Saxo, Carolo V. ſtatus quæſtionem mouebat; pro Cæſare illum non habebat; ſed tantùm pro Carolo Gandauenſi, illi in ipsâ Germaniâ, in cauſa publica, repudiata omni Pacis oblatione, bellum inferebat. Hîc Friderico Palatino Electori, lis priuata tantùm cum Cæſare fuit de Regno Bohemiæ: quales olim lites priuatæ, & ex illis ortæ quandoque bella cum Imperatoribus, ſæpe fuerunt, citra maieſtatis aut Feloniæ crimen. Et quidem bellum in Bohemiâ iam cœptum, diúque geſtũ, antequam Fridericus Rex electus. Sanè Cæſaris*

ille

ille authoritatem ſemper excepit; obedientiam obtulit; ad amicabiles tractatus, ad Ius prouocauit: Iura Imperij & libertatem, pro officio ſuo, & fide illi debita tueri voluit.

FABIVS

Planè ita eſt Camerari, exemplum Cæſaris Caroli Saxonem mouet: eadem vtrique Cęſari poteſtas; ſi Carolo licuit, cur Ferdinando non licebit? ſed Ioan. Fridericus Carolum Imperio exuere connixus, armis pacem in Germania turbauit. Fridericus nihilo ſanctior palàm Cæſarem agnouit verbis, re perſequutus eſt bello, ſi primum ſucceſſiſſet, maiora tentaturus, non enim ignota ſunt conſiliorum veſtrorum arcana. Quid æſtimas Camerari? De abrogando Cæſari imperio cogitare, de modo & ratione eundem capiendi conſultare, non eſt tantùm ſtatus quæſtionem mouere, ſed de ſtatu ipſo deijcere: vos autem iſta meditatos & conſilijs agitâſſe, ſi aliunde neſciremus, poſteriùs certè didiciſſemus ex protocollo quodam in Cancellaria Heidelbergenſi, poſt vrbē captam reperto. Deinde vt hæc mittamus. Terras Imperatoris hæreditarias armis occupare, nónne crimen cenſes dignum exilio? Sed lapſis retrò ſæculis, extitere etiam Principes, qui cum Cæſare contulerunt arma: fuêre, non neſcio; ſed & hoc ſcio, fuiſſe ipſos quoq; proſcriptos; exemplum domeſticum paulò tibi ſupra denarraui. Cœptum iam erat bellum in Bohemia, inquis, antequā

Digitized by Google

Fridericus in illam veniret; cœptum haud dubiè erat cõſilio & impulſu veſtro bellum impium, ſed vos continuâſtis; ſi illi perduelles qui cœperunt, inſontes illi, qui auctores fuêre & proſequuti ſunt? Ais autem, Palatinus Cæſaris authoritatem excepit, obedientiam obtulit, ad amicabiles tractatus, ad ius prouocauit. Alijs iſtud decantes, nos naſum Rhinocerotis habemus. Si te colaphis in rixa obiurgem, & edicam inſuper, me ViceCancellariatus tui dignitatem excipere, quæſo quem percuſſi? Nulla erit amplius ſacroſancta Magiſtratus perſona, nulla maiorum reuerentia, ſi maleſanæ licentiæ hęc verborum diuerticula permittantur. Vbi autem tuus Princeps obedientiam obtulit? imò verò obtulit, ſed ita, vt Cæſar eam coleret, regnóque Bohemię abſtineret; de alia enim obedientia, vſque in hunc diem nemo inaudijt. Ad amicabiles inquis, tractatus vocauit; valde amicabilis es Camerari, ſcilicet; quando armis vocas. Sed etiam ad ius prouocauit: bonum Herclè factum; heri mihi quis pallium vi abſtulit, hodie in ius vocat, quid hoc rei eſt? reddat potiùs raptor pallium, aut ſi non vult, ipſe in ius ambulet, ac factum luat. Iam & Imperij libertatem tueri Palatinus voluit, itáne Germanis tam eximium ius eſt, tam inclyta libertas, vt bello aliena ſibi regna comparare poſſint? debeo tibi Camerari tanquam meo didaſcalo didactron, neſciebam iſtud.

Germani tollent equites, peditésq; cachinnum.

CA-

CAMERARIVS.

Joan. Fridericus Saxo, iam diu ante bellum Schmalcaldicum à Carolo inueſtituram Electoratus Saxoniæ acceperat, iuramento fidelitatis illi ſe deuinxerat. Fridericus Palatinus, nullo adhuc iuramento Ferdinando Imperatori, ſed hic potiùs illi, vt Electori, Imperij nomine, ſanctiſſimo Capitulationis ſacramento obſtrictus: Et tamen Fridericus paratus eſt, conueniens obſequij iuſiurandum præſtare, modò per ipſum Cæſarem liceat.

FABIVS.

Arbitrabar Cæſarem eſſe inuiolabilem ſuis, ſed video Caluiniſtas, niſi in ipſius verba iurent, Magiſtratum inſuper habere; vtinam poſt iuramentum honorarent. Electio facit Cæſarem & magiſtratum, non iuramentum: ego Cęſari nunquam iuraui, & tamen fidelitatem debeo; debebatis & vos Camerari, neque iam admodum opus eſt vt iuretis, quia ſine iuramento vos nouimus. Placet autem quod paratum affirmes Fridericum *conueniens iuſiurandum præſtare:* Sed quod hoc certè conueniens iuſiurandum? Vt Palatinus prout fert animus omnia agat & regat? Vt Cæſar nomen habeat, ipſe poteſtatem? Vt Cæſar ſolio cedat, Palatinus in eo conſidat? vt demũ omnia in manu ſua contineat? hoc vnicum Palatino cõueniens iuramentum erit.

Digitized by Google

CAMERARIVS.

Joan. Fridericus bello à Carolo captiuus factus in eius poteſtate fuit: Fridericus Palatinus, nondũ planè deuictus, neq; in captiuitate, ſed tantum nulliter proſcriptus, & vi iniuſtâ hæreditarij ſui patrimonij maiori parte eiectus eſt: Euentus autem futuri in Dei manu ſunt.

F A B I V S.

Proſcribi etiam abſens poteſt Camerari, & antequam armis vincatur, ſi edicto vocatus non comparet. *Sed nulliter proſcriptus eſt*, ais, *Palatinus*; quàm eleganter, tam verè. Raro quiſquam reus ſententiam in ſe latam laudat, cur tu faceres? Euentus futuri omnino in manu Dei, atq; idcirco nullum vos proſperum obtinetis. Caluiniſtas Deus non exaudit.

CAMERARIVS

Mauritius etiam, Saxoniæ Dux, peculiare quoddam ius ſuum prætendit; cùm Nobilitatis ac ſubditorum voluntate Electoratum adeptus, & Religio Euangelica illâ translatione nullum detrimentum paſſa eſt: Hîc nullum ius Bauarus, præſertim excluſis propinquioribus agnatis, prætendere poteſt. Nobiles & ſubditi vtriusq; Palatinatus gemunt cum fletu & ſuſpirijs, & Dei opem implorant; quòd ad ſacramenta contra conſcientiam ſuam præſtanda

Digitized by Google

da adiguntur; quòd ſuperſtitio Papalis & idololatria in Palatinatum introducitur.

FABIVS.

Et Bauarus ad Electoratum prætendit ius olim illi præter meritum à Carolo IV. ereptum; Carolus hoſtis Bauarorum erat ob Ludouicum Cæſarem, quocum immortales lites habuit propter imperium, ad quod viuente Bauaro adſpirabat. Acceſſit affinitas Carolum inter & Rudolphum Palatinum; duxit enim Carolus huius filiam, quam nuptialibus muneribus decebat ornare ampliſſimis; non poterat autem amplioribus, quàm dignitate Electorali in ſolum Palatinum transferenda, fremerent aut ringerentur Bauari; hoſtes erant. Audi familiariſſimum tibi Freherum, *à Carolo Cæſare*, ait, *non paruos ad augendam rem Palatinam fauores* (Palatini) *acceperant, & Rupertus quidem Palatinus, à barba ruffus & ad differentiã cognominis ſui ex Adolpho fratre Nepotis, Præſenior dictus, non ſine autoritate Caroli Imperatoris Electoratum, & ad eum ſpectantia ſibi, dum vixit, retinuit, ac ſummopere laborauit pro Electoratu Cæſaris Ludouici filijs ac Hæredibus eripiendo, eúmque ſibi ac ſuæ parti arrogando.* Habemus confitentem ſpectabilem olim in aula Palatina Caluiniſtam, Rupertus certè hic contra Religionem iuris-iurandi egit: conuenerat enim

Digitized by Google

inter Principes, vt alternâ dignitate Electoratũ gererent. Iuramentum Heidelbergenſe inuenies apud Gewol. lib. de S. Rom. Imperij Septemuiratu pag. 224. Ab hoc autẽ vetuſto Bauarorum iure excluduntur agnati veſtri propinquiores; ab iure verò, quod hodie vſurparunt, repelluntur ob Palatini in Cæſarem feudi Dominum facinus. Ita leges ſanciunt, & eſt hoc in genere etiam inſontibus ſua pœna.

Quod ſubditi Palatini ingemiſcant; mirum non eſt; Vos materiam lacrimarum ſubminiſtrâſtis: Sacramenta, quæ præſtitêre, Cæſari præſtitêre; ſi contra conſcientiam eſt Cæſari ſacramentum dicere, næ tu ſanctam habes conſcientiã. Sed, eheu, ſuperſtitio Papalis & idololatria in Palatinatum introducitur. Si Catholica Religio ſuperſtitio eſt, vos è ſuperſtitione nati eſtis, tanquam putidiuſculi vermes ex annoſo ligno, haud dubiè non nobiliores ligno; quanquam vos ſuperſtitioſi non eſtis, quia non nimiùm creditis. At Idololatria introducta eſt! fortaſſe cùm Generalis Tillius Heidelbergam vi cæpit, tùm enim introduxit Iouem fulminantem, & Herculem clauâ obuios ſternentem; procubuêre certè Heidelbergenſes ad conſpectum Idolorum tam immanium, vt non ſine cauſâ lugeas huiuſcemodi Deorum feſtum apud vos diem.

CAMERARIVS.

Ioh. Fridericus Saxo ipſemet, retentâ magnâ

regio-

regionum ſuarum parte, quod reliquum fuit, ſollemni renuntiatione patrueli ſuo ceßit: Sed hîc Palatino, liberíſq; ſuis & agnatis, fratri adeo germano, matri & ſororibus, cuncta bona ereptum eunt, & vitam ſummi Principis extremo fortunæ ictui obÿciunt. Adde, quòd Ioh. Friderici Saxonis Filÿ, & frater Erneſtus, ipſi quoq; renunciarunt iuri ſuo, vt ita faciliùs ad agnatum Mauritium Electoratus Saxoniæ peruenire potuerit: Hîc frater Electoris iniuſtè proſcripti, & agnati, de iniuriâ toti familiæ factâ, conqueruntur, Quòd etiamſi legitimè Fridericus Elector condemnatus fuiſſet, ipſis tamen Bauarus præferri non debeat, tam longinquâ agnatione ipſis coniunctus, vt gradus vix computari poſſint.

F A B I V S.

Etſi omnia eriperentur Palatino, Camerari, non æquarentur tamē ijs, quę ipſe Cęſari eripuit; regno ipſius, terra veſtra par non eſt: Deinde non neſcis, commiſſo crimine læſæ Maieſtatis, in commiſſum omnia cadere. Fortunam tantâſtis; ſi nouercam experimini, vobis ipſis iram illius adſcribite. Fratri Friderici Elector Bauarus præfertur non cognatione, ſed rerum geſtarum merito: Cùm feudum ad Dominum redit, agnatis nihil debetur, vti ſuprà diſputatum. Quòd Ioan. Friderici filij, fratérq; Erneſtus iuri ſuo renunciârint teſtes deſidero, ſed ſi fecêre, ar-

re, argumento eſt, eos benigniùs, quàm vos tuliſſe Cæſaris mulctam; ſed etiamſi non renuntiaſſent, Mauritius nunquã Cæſareæ clementiæ dono, dignitatéq; ceſſiſſet.

CAMERARIVS.

Verùm enim verò, etiamſi in allegato Mauritij exemplo tanta rei diſsimilitudo non eſſet conſpicua; qualis iam oſtenſa eſt: Non tamen *in causâ ſummi momenti, hoc præſertim exulceratiſsimo ſæculo, & vbi concuſſo ferè totò Orbe Christiano à Turcica potentia extrema pericula formidãda ſunt,* exemplis, ſed legibus, iudicandum *eſſet: & vt præclarè alicubi Tacitus ait,* Non vtendum eſt imperio, vbi legibus agi poteſt.

FABIVS.

Bellum igitur noſtrum vitio nobis vertitur, & quia innocenti illatum, & quia hoc tempore illatum; de innocente jam multa dicta; de tempore tuum erit reſpondere: Si enim periculoſum fuit hoc tempore arma conferre inter ciues, vos periculum creâſtis, quando bellum ſuſcepiſtis, neq; enim nos belli autores ſumus. At noſtrũ fuiſſet Turcâ Poloniæ imminente, arma deponere, & ad vicinum formidabiliúſq; incendium aduertere: fuiſſet, ſi pax à vobis fuiſſet; arma Halberſtadius parabat, arma Durlacenſis, arma Mansfeldius, arma alij: noſter paries ardebat, defendendi nobis penates erant, ne Caluiniano

igne

igne conflagrarent. & tu nos ſemper remittis ad leges, & ad iudicia: vos noſtra non fertis, ſed neq; nos veſtra. Tacitus rectè dixit, non eſſe vtendum imperio, vbi legibus agi poteſt. Cur non ſecutus es hunc tuum Politiæ magiſtrũ, cùm & Bohemi & tuus Princeps armis Cæſari litem intendêre, non poterant agere legibus? Vos leges inuocatis, quando ferro diffiditis.

CAMERARIVS.

Hoc etiam conſtat, quòd poſtquam Carolus V. *fortunæ ſuæ contra libertatem Germaniæ nimiũ fortè indulſiſſet; tum etiam ob caſuũ varietatem; vtq; Electorum, & Imperij ſtatus, magis magisq; fulciretur; ab eo tempore, Capitulationẽ, quam vocant, Cæſaream, ab Electoribus Imperij multis modis auctam, illaq; Electorum ſecuritatem ac præeminentiã fortiùs ſtabilitam; nedum vt Electoratus primarius ſæcularis, ex priuato affectu, & intempeſtiuo Religionis Zelo, legitimo Principi eripi, & alij tam facilè donari poßit. Non libet hîc multis attexere, ipſum Carolum* V. *ſæpe deploraſſe rigorem illum ſuum, quo Albani potißimùm impulſu in Ioan. Fridericũ Saxonem tum vſus. Certè ab eo tempore de faſtigio fælicitatis ſuæ, quæ antea indiuidua ipſi comes, deiectus eſt vno velut impetu, vt conſtat ex hiſtoria illius ſæculi.*

FA-

Digitized by Google

FABIVS.

Hoc agit Camerarius, vt perſuadeat lectori acciſam eſſe magis Cæſarum poteſtatem, quàm olim Carolo Cęſari fuerit, atq; ideò defuiſſe Ferdinando auctoritatem in Electorem. Ego verò me in tam ſacri ſenatus adyta non intromitto; quid Cæſari ademptum, quid Electoribus tributum, alij nôrint; hoc mihi conſtat nulla vnquam data priuilegia ad regna alijs eripienda, & ad Maieſtatem violandam; Neq; Cæſari ademptum Imperium, ad coërcendum ex legibus hos violatores. Lamentationem, & pœnitentiæ lacrimas à Carolo profuſas ob rigorem ſuũ, credam cùm teſtem Schedam miſeris, ſed non mitte tuã. Quòd fortuna eum tandem deſtituerit, ex hiſtorijs conſtat, ſed non conſtat de tua causa; Neq; certum ſemper indiciũ eſt mala fortuna, hanc aut illam eſſe mali cauſam. Plura ſunt, quæ inſtabilem illam Deam exaſperent ac fugent, vt non ineptè ille monuiſſe videatur, cùm canit

Fortunã reuerenter habe; ſtat in orbe volucri
Flexilis, in caſum, ſi te conuertis, itura.

Porrò Carolus fortunam illam aduerſam etiam experiri potuit, non vt Deo ob vllum crimen pœnas perſolueret ſed ne poſt tantam rerum geſtarum gloriam, quidquid id eſt, quo Deum demeruerat, ſuperbiâ amitteret,

CAMERARIVS.

Quod ſi exempla amamus, Sereniſſimus Saxoniæ Elector, etiam alterũ Mauritij exemplum pro-

batu-

baturus eſſet, cùm ille libertatem Germanicam vindice manu aſſeruit, & pacem Religionis Imperio parauit. Sed de his alij rectius, & fuſiùs alibi.

Elector Saxo iam imitatus eſt Mauritium, quando vindice manu Cæſarem contra veſtros furores defendit. Quòd ſi contra fœdera & Sanctiones pacis ac Religionis Catholici quid tentarent, Mauritij exemplo excitaretur, & iret in nos, ſicut in vos iuit armaturâ grauis, ſed quia nihil molimur, quieſcit & ipſe.

CONSIDERATIO XIV^a.
CAMERARIVS.

C*Onſiderandum*, Quibus artibus, tum Saxoniæ Elector, tum alij Euangelici in partes Pontificiorum pertracti fuerint? *Perſuaſum enim ipſis ex fundamentis omnino falſis,* Caluiniſtarum, quos odioſè appellant, conſilia eò pertinere, vt abſq; dubio Turcæ in Imperium aditus præparetur. *Atqui inter Confœderatos Hungaros, Bohemos, & cæteros, longè maxima pars Lutheranæ religioni addicta. Tum ex ipſâ confœderatione cum Hungaris inita contrarium potiùs manifeſtè apparet:* Vbi ſummâ cum curâ & ſollicitudine proſpectum eſt munimentis & propugnaculis Chriſtianorum in Hungariâ, ne in manus Turcarum veniant. In quæ etiam Bohemis, incorporatiſq; Regno Bohemiæ

prouincijs, maximi quotannis ſumptus faciendi ex illis pactis conuentis, vt ita vrbes & arces limitaneæ à Turcis ſecuræ conſeruari poſſint. *An igitur, qui hac ſollicitudine probarunt fidem & conſtantiam ſuam Reipublicæ Chriſtianæ, hoc egerunt, vt aditum facerent Turcis in Imperium? Cum anno* M.DC.XVIII. *bellum in Bohemos agitaretur, limitanea ſanè illa loca, omni ferè bellico inſtrumento ſpoliata; & quæ ad Turcarum depulſionem comparata magno ac diuturno ſumptu fuerant, in miſeros Bohemos vſurpata meminimus.*

FABIVS

Elector Saxo vnâ cum Catholicis, meritò timuit veſtram ſeditionem eò ſpectare, vt Turcæ in Imperium aditus præparetur; hunc verò tu timorem vanum fuiſſe oſtendis argumentis ab omni parte ferreis; ita vt Hercule opus ſit, qui ea rumpat. Primum eſt; Hungarorum, & Bohemorum pars longè maxima eſt Lutheranæ Religioni addicta. Pars longè maxima dictorum tuorum, Camerari, putet; in Hungaria vix tot Lutherani numerantur, quot Thebis portæ: Ariani, Trinitarij, & potiſſimùm Caluiniſtæ regnant; etiam in Bohemia minor Lutheranorum numerus; Caluinus vbiq; Lutheri ſata depaſcitur; nobiles maximè delirio Geneuenſi capiuntur: & ſunt nō pauci, qui publicè Confeſſionem Auguſtanam iactant,

quorum

Digitized by Google

quorum ſinum pietas Heidelbergenſis incendit. Deinde demus, quod vis; ſint plures ijs in plagis Lutherani: ergo Turcæ per rebellionem Caluiniſtarum non præparatur aditus in Germaniam? Confeſſioniſtis ſi à Turca inuadantur, vos non facilè feretis opem. Alterum eſt. Proſpectum fuit, ex fœderatione cum Hungaris inita, munimentis in Hungaria, & propugnaculis Chriſtianorũ, ne in manus Turcarum venirent; quid hinc efficere vis Camerari? ergo Turca non poteſt acceſſum habere in Germaniam? In cuius poteſtate tunc erant propugnacula illa? nónne in poteſtate Caluiniana? peperciſſet certè Turca amicis, vt in nos Catholicos & Confeſſionis Auguſtanæ addictos illibatis viribus iret. Certè hac ſollicitudine ſuâ Caluiniani nobis non probârunt fidem, vti à Turca ſecuri ageremus. Oues non egent paſtore ac defenſore lupo, cùm gregi leones imminent; vtrorumque rictus horrent.

At potiùs Catholici peccârunt, qui vt bellum Bohemicum gererent, propugnacula illa bellicis inſtrumẽtis ſpoliârunt. Pars inſtrumentorum Camerari demi potuit, vt in rebelles, & Turcæ non abſimiles hoſtes verterentur: quòd ſi quid damni inde timetur, non nobis, ſed adſcribendum ijs eſt, qui nos ad arma concitârunt; neceſſitas arma miniſtrat.

CAMERARIVS.

Legati Confœderatorum ad Portam Ottomannicam

nicam nihil tale in mandatis habuerunt, quod non Reipublicæ Chriſtianæ vtile potius, quam exitioſum eſſet. Sciunt hoc ipſi, qui Inſtructionũ legatis datarum exempla in manibus habent. Quæ proferrent ac ederent homines Curioſi procul dubio, vt multa alia, parùm candidè & bona fide, ſi quid tale in illis repeериſſent, quod nunc per manifeſtam calumniam Caluiniſtis, ex mero odio ita vocatis, obijciunt. Nam Bethlemium & Turcas Fridericum Electorem Palatinum Cæſari hoſtes conſciuiſſe, inq; illum adhuc incitare, *eâdem facilitate negatur, quâ aſſeritur. Fuit enim Hungaris cum ipſo bellum, antequã Fridericus Bohemiæ Rex electus fuit. Cum Turcis autem illum commercium habuiſſe vnquam, in æternum probari non poterit.*

FABIVS.

Hîc opus eſt, Camerari, vt artes tuas omnes exeras. Legati Caluiniſtici ſummâ ſanctitate, & innocentiâ ad Portam Conſtantinopolitanam profecti ſunt, nulli aut noxæ aut damno futuri; mandatum illis vnicum erat, vti pro ſalute Germaniæ, pro incolumitate Imperij, pro gloria Cæſaris laborarent, Turcámq; Chriſtianitati vniuerſę conciliarent; nec ſegniores fuêre Legati, pietatem, quam à Dominis hauſerant, oſtendêre in Regia Turcica vnum bonum Patriæ, bonum Imperij publicum procuratum

eſt. Scilicet, mi Camerari; quiduis non credimus, etiamſi tu quiduis dicas; an tu reris nos Bæotes vt nobis perſuaderi ſinamus Caluiniſtas, tam procul iuiſſe voti damnatos, vt ad Sophiæ celebratum magnificentiâ, Turcicæq; vaſtationi ſuperſtes templum pro Catholicis Romanóq; Imperio ſupplicarent? Túne ex fide clientium cenſes inſalutato ac ſpreto ſeu Rege, ſeu Cæſare ſuo, legationem adornare ad hoſtem aut Regis, aut Cæſaris ſui? Quid vobis cum hac legatione? Rebellium eſt, aliena ac diſſita præſidia quærere. Si Heidelbergenſis ſenatus, in controuerſo cum Principe tuo, iure, inſcio Principe Legatum ad Regem Hiſpanum mitteret, de iniuria conqueſtum aut poſtulatum auxilia, quo nomine compellares hos ſenatores? Seditioſos haud dubiè, propediem perfidiæ litaturos. Vos in Imperio degitis velut Ciues in vrbe; Princeps veſter Imperator eſt; ab hoc reſponſa expectanda; ab hoc iura & auxilia poſtulanda, & vos aliò conceditis? Quid vobis rei Conſtantinopoli fuit? quod rebellibus eſt; qui mala conſilia voluit, timet; vt ſecurus ſit, fanda & infanda præſidia quærit. Abeat vel è domo mea ſeu filius, ſeu ſeruus, qui aut de Patrefamilias apud hoſtem queritur, aut contra eum opem expoſcit. Sed conſilij capiendi aut obſeruantiæ ciuilis causâ iêre Legati! Scilicet, Chriſtiani conſilium à Turca poſtulent? Gallinæ à vulpe, mures à fele? & ſuſpecta mihi eſt ciuilis hæc erga Turcam obſeruantia; Neſciebamus vos tam familiares eſſe il-

 li Scy-

Digitized by Google

li Scythæ, Romani Imperij iuratiſſimo hoſti. Qui amicus mei hoſtis eſt, amicus meus non eſt. Nullis technis, nullis verbis vos expiabitis Caluiniſtæ; ſola legatio ad Turcam miſſa ſcelus eſt; ſanctiſſimè ea peracta ſit, certè cum probri nota inſtituta eſt. Vt deſinas Camerari dicere, Fridericum cum Turcis commercium habuiſſe probari non poſſe, Legatio probat. Quid verò probat Legatio? niſi manu Camerarium reſtitantem tenerem, elaberetur lubricus ſerpens, & aut nihil fateretur, aut quod fateretur, fingeret. Vobis in hac legatione alicuius fructus ſpes fuit, & expectatus effectus, vt germanicè loquitur Fridericus tuus in litteris 3. Iulij 1623. ad fœderatas prouincias de augendo Legationis Turcicæ ſplendore, datis. Iam igitur quæro, Camerari, quem effectum aut fructum exſpectaueritis? illum vtique, quo indigebatis aduerſus irritata arma Cæſaris; ferrum, ſcilicet poſcebatis in iugulum Chriſtianorum, in lanienam Europæ, quam libido veſtra vniuerſam, propter generalem, vt vobiſcum loquar, reformationem, ſpectabat: Voluiſtis certè per laniſtas illos ex Oriente petitos crudelitatem veſtram longè latéque inſignem reddere, non hominum ſolùm, ſed & vrbium ac terrarum cadaueribus. Is demum fructus veſtræ legationis fuiſſet, fructus nempe, quem nos Catholici procuratoribus non inuideamus.

CAMERARIVS.

Quid

Digitized by Google

Quid quòd Hungari Cæſareanos feciſſe, quod hîc Caluinianis imputatur, oſtendunt? Et quidem Cæſarem Gallum ad Portam Ottomannicam Legatum, quædam in Hungaria loca Turcis vltrò obtuliſſe, ſi ab amicitia Hungarorum diſcederent? Certè quæ Cardinalis Cleſelius cum Turcicis legatis Viennæ egerit, & quanta tum Hungariæ pars Turcis conceſſa fuerit, adhuc in recenti eſt memoria. Sed quid verbis opus eſt, vbi facta loquuntur?

FABIVS.

Si Cæſareani Cæſaris voluntate, ſi Cæſar Hungarorum Rex quædam loca Hungariæ, causâ pacis publicæ, aliter non impetrandæ, vltrò Turcis obtulit, quid tu Caluiniſticam frontem corrugas? Sua Cęſar obtulit, & quædam permiſit, ne plura amitteret. Quid ad te, quid Rex Hungarię in Regno ſuo ſtatuat? Quid vos Conſtantinopoli vltrò Turcæ obtuleritis, neſcio; certus tamen ſum vos veſtra non obtuliſſe; ad aliena eum inuitâſtis, prædâ in Imperio diuiſuri. Sed hoc quâ facilitate, ais, aſſeritur, eâdem negatur; ſine & me loqui: quâ facilitate negatur, eâdem aſſeritur. Argumento ſunt non verba, ſed facta, niſi & negare placeat veſtros Legatos Conſtantinopolim profectos.

CAMERARIVS.

Quis

Quid Turcas in Imperium allicit magis, quàm qui bello ciuili, non neceſſario, & inextricabili, quo Reſpub. Germanica carere potuiſſet ac debuiſſet, illam tam miſerè, tam crudeliter in intimis viſceribus inuoluit, vt nunc eſt ante oculos? Cur Bauarus Ligiſtarum Exercitum non ad fines Imperij Turcici deduxit, ſi Turcæ à Caluiniſtis accerſiti ante Portas fuerunt, vti calumniantur? Certè ipſe Imperator, cùm poſt cladem ad Nouam Arcem acceptam ab Hungaris vrgeretur, ipſius auxilia expetijt. Sed maluit ille ſibi vigilare in proprium commodum, & poſſeſsionem Palatinatus ex iniuſtâ inueſtiturâ obtentam inuadere, atq; adeo totum Imperium in diſcrimen adducere, quàm Turcicum periculum auertere. Sed hæc alibi fuſiùs.

FABIVS.

Diuidimus operas vt video; Caluiniſtæ malè agunt, nos mali dicimur. Quis inuoluit Germaniam bello præter vos? cùm vos noſtros agros depopulati eſtis, cùm pagos exuſſiſtis, vrbes diripuiſtis, monuimus vos, vt militẽ tam noxium abduceretis; iam cùm talionem experimini, crudeles nos clamatis, & fuiſtis. Sinite & nos parum aures claudere, ne vos nobis æternùm claudatis. Si qui fluctus, ſi quæ procellæ ſunt in Imperio, vos concitâſtis. Elector Bauarus ad finem Imperij Turcici exercitum ideo

non

non deducit, quòd in media Germania baptizatos Turcas, quos profliget, inueniat. Et tu hîc rurſus plus nôſti, quàm contigerit: quis te nuntius certiorem fecit à Cæſare expetitum ab Electore Bauaro fuiſſe auxilium aduerſus Hungaros, rebus ad Nouam arcem inclinatis? Tui ſimilis es vbiq;, & Lectori fabulas obtrudis. Bauarus Cæſari nihil poſtulanti, nihil recuſauit, nec ſibi vigilauit, vt tu criminaris, ſed publicum bonum priuato antetulit, vti non obſcurũ eſt æquo rerum æſtimatori, tantum enim, quantâuis auiditate fingas, ſperare non potuit, quantum amittere timuit, ſi vinceretur; vt taceam, nunquam eius mentem fuiſſe ex aliena clade creſcere, ſed ſua, inter tot rapientes conſeruare. Imminebatis enim omnibus omniũ fortunis; carpere per aſtum iam hunc, iam illum decretum erat, donec deueniretur tandem ad cunctos.

CAMERARIVS.

Nunc hoc etiam obiter conſiderandum, quod in Epiſtola ad Zunigam memoratur; Lutheranos nempe non minoribus odijs in Caluinianos, quàm Catholicos ferri. *Atq; alibi blandiuntur Lutheranis, etiã publicè in quibusdã nuper ſcriptis editis*, Quaſi abſq; omni odio benè Lutheranis conueniret cum Romanenſibus. *Ipſi igitur animaduertunt Lutherani, quàm ſincerè & tutò vtantur iuratis in Hæreticos omnes ſine diſcrimine aduerſarijs.*

FABIVS.

Religionis ergò nos Lutherani non multùm amant Camerari, quia multùm diſſentimus; ciuilis pacis ergò, quia illam adhuc ſanctè coluimus, odiſſe nos non poſſunt, vti rectè dicere poſſimus abſq; blandimento, nobis bene cum Lutheranis conuenire. At vos, ſi Religio ſpectetur, non maiore fauore proſequuntur, quia æquè diſtatis. Si verò inciuilis veſtra ciuilitas, & ſpiritus bella ex bellis procudens penſetur, vos potiùs hoſtes iudicant, non neſcij, ſe ſincerè ac tutò nobiſcum in eodem Imperio degere, nequaquam de vobis ſecuri.

CAMERARIVS.

Scimus etiam hoc inculcari Lutheranis, Conſpiraſſe Caluinianos non minùs in ipſorũ, quàm Catholicorum perniciem. *Sed euidens eſt calumnia, vel putidiſsimum potius mendacium. Deus, qui corda & renes probat, hoc nouit & ipſa refellit experientia. An verò minùs periculi Lutheranis à Catholicis, quàm Caluinianis immineat, hoc ſcilicet Executio, vel Laniena potius Pragenſis nupera, & Proſcriptio tot Miniſtrorum Lutheranorum ex Bohemia, & incorporatis prouincijs, liquidò demonſtrat. In Palatinatu ſuperiori & inferiori maior ſubditorum pars Lutherani ſunt, liberum ſuæ Religionis exercitium multis in locis habent, aut alibi ad illud acce-*

dere

dere non prohibentur. An illi nunc à Bauarico vel Hiſpanico milite mitius tractantur, quàm Caluiniſtæ? An vicini alij Principes, Status, Nobiles, omnes ferè Lutherani, eodem incendio abſorpti, priuilegio confeſſionis Auguſtanæ tuti manſerunt?

F A B I V S.

Quî probas inculcari à Catholicis, Caluiniſtarum arma, æque Lutheranorum atq; Catholicorum interitum ſpectare? ſed fac nos iſta ſpargere, an propterea calumniã dico, cùm dico, quod tu ſcripſiſti? Neſcis ad quem tribulem ſcripſeris hæc verba? Non poſſumus mouere Saxea iſta Corda; quid ſupereſt, niſi vt ipſos vnâ cum Papiſtis opprimamus? Quid intelligis per Saxea corda, niſi Saxones à Martia tua factione abhorrentes? Trahere in partem belli Saxoniæ Electorem conati, cùm ſurdo caneretis, irâ pleni eundem ei cum Catholicis exitum deſtinâſtis

Diſpeream ſi vos Saxo adamare poteſt.

animum enim veſtrum in eum, vt quidpiam ſuperioribus adijciam, rupto per indignationem ſinu, publicè quoq; detexit Palatinus tuus in ſuperbo illo edicto (Anno 1620. 28. Septemb. edito) quo Saxoni Cæſareas partes armis defendenti, fiduciarias prouincias, quas à Bohemiæ regno obtinebat, abrogauit, ſubiectúmq; ei populum ſacramento ſoluit. Eo certè in edicto impudentiſſi-

Digitized by Google

mâ inſaniâ, & Saxonē & reliquos Electores inceſſit; nominat enim nō obſcurè Electores Eccleſiaſticos, aliósq; principes, à quibus in ſuam ſententiā abductū Saxonem arbitrabatur, Spanniſche Mordpracticanten/ hoc eſt, latrociniorū auctores, architectos, & fabros. Hoc encomiū habete Electores & Principes ab hoc Rege Scenico; ego vos non vindico; authoritas veſtra, & tanti Senatus maieſtas nullo conuitio violatur; ignoſcite, theatralis ſermo eſt, poſt horam Rex ſceptrum & paludamentum ponet. Pergat ergo tragicè loqui: Mülhuſinum Conuentum, cui Saxo cum alijs Electoribus interfuit, appellat, Blutrath/ Concilium cruentum, quaſi in eo Catilinæ & Cethegi, aliíq; ſicarij conſediſſent. Præterea Saxonem tanquam deceptorē ſuggillat, ait enim, eum vſurpare æquiuocationes veteribus Germanis ignotas. Intelligo quid Palatinus ſignificare velit; ſatis pellucidus verborū iſtorum cortex eſt; & Saxo intelliget. Demum Saxonē, ait, contra tria Sacramenta dicta perfidum in Luſatiam copias duxiſſe. Perfidi nimirum Caluiniſtis ſunt, quibus perfidorū ſocietas non arridet; Perfidus potiùs Saxo fuiſſet, ſi fidem, quam nullam Palatino debuit, ſeruâſſet. Nulli tyranno fide obſtringor, nec in legitimi Cæſaris damnū; imò qui minori iurat, Cæſari nihil abiurat; vbi alteruter deſerendus eſt, deſeratur is, cui minùs, aut nihil debeo.

Sed mittamus Saxonem Caluiniſtis odioſiſſimum, cæteris Lutheranis à nobis fortaſſe periculum imminet: vbi,

Digitized by Google

vbi, Camerari, vbi, in quos Lutheranos nudatum eſt ferrum noſtrum? Laniena, vti tu ſupplicium perduellium Bohemorum nominas, Religionis causâ inſtituta non fuit; proditio ac Capitalia facinora compleuêre funeribus fatale pegma. Nulli religio reſtem induit, aut exuit; inter damnatos Catholicum quoq; fuiſſe aiunt; ergo & Catholicis à nobis periculũ ingruit? puto etiam vos Lutheranorum fures Caluinianis patibulis affigere; ab Lutheranis certè, eodem honore veſtri condecorantur, ſine vllo vtriuſq; religionis aut deſpectu, aut damno. Nec Lutheranis aut Caluinianis in vtroque Palatinatu vis infertur; aperta ſunt templa, ingredi egredíue cuilibet permiſſum; oneri milites eſſe nemo neſcit: haud quóquam veniunt vt aliquid adferant: falſum autem eſt de priuilegio Auguſtanæ Confeſſionis quidquam imminutum: ſi quid Caluiniſtis ſecus acciderit, quod me latet, id Confeſſioni Auguſtanæ non derogat. Caluiniſtæ vt Confeſſionis Auguſtanæ non ſunt, ita nec eius priuilegio fruuntur.

CAMERARIVS.

Scopum principalem ſupra nobis excuſſum intuere, Flores Scioppianos examina, Windecij prognoſticon de extirpandis Hæreticis, & Ieſuitarum cum gratia & priuilegio, conſenſúq; Superiorum impreſſas inuectiuas & Philippicas percurre: Tum ſanè,

nè, tanquam in ſpeculo, tibi apparebit, quàm turpiter, quàm aſtutè Romanenſes Lutheranorum ſimplicitate abutantur. Ulyſsis à Polyphemo oblato priuilegio decipiuntur, vltimùm deuorandi, miſerè tamen deuorandi. Imò iam nunc quotidie deuorantur. Tantum Relligio potuit ſuadere malorum.

FABIVS.

Floſculos Rhetoricos ſpargit canus iam Orator Camerarius: ſi ſingulorum Scriptorum libri in examen Caluinianorum veniant, næ illi multa inuenient, quæ caſtigent; optimum quodq; litura delebit; neq; tamen omnia noſtrorũ dicta probamus: pro vehementia affectus apud quoſdam vehementior ſermo eſt; pauculi aſperiùs conſulunt, maiore multitudine mitiùs ſentiente; priuata ira publico non obeſt; ſed neque omnes diſcunt, quod aliqui docent: Certè Catholicos nihil contra Lutheranos in hoc genere didiciſſe, ſæculum, quo conuixere, teſtatur. Atq; ita nihil noſtra potuit ſuadere malorũ Religio: Caluiniſtæ Polyphemi priuilegio, ſeu vltimi deuorentur, ſeu primi, vtantur per me licet, deuorari certè verentur, vereri debebant facinora, facinoroſos deuoratura.

CONSIDERATIO XV^a.

CAMERARIVS.

Sed ne hoc quidem præteriri poteſt, quo minùs conſideretur; Quantâ cum cupiditate vindictæ, quan-

tâ

Digitized by Google

tâ odij acerbitate agatur contra Palatinum Electorem? Et quibus ille calumnijs tantum non obruatur? *Sit iuſtæ indignationi locus, & mereatur illa in tantâ calamitate veniam. Nam vbi adeo turbidi affectus regnant, ecquis eſſe ſinceræ iuſtitiæ locus poteſt? Illius tamen velo, Proſcriptionis iniquitas obducitur: & Iudicis partes gerit, qui eſt propriâ confeßione ſuâ infenſißimus hoſtis.* Virum dignum morte Palatinum eſſe *Epiſtola ad Zunigã pronunciat ex Diuino Oraculo*: Iacere illum apud Hollandos exulem; Proprijs ferme ditionibus exutum, extremum ictum fortunæ præſtolari: Torpentem & ſemianimem colubrum, *appellat*, victum, iacentem hoſtem: ſemel illum famam proſtituiſſe: Nullam iuramenti ſanctitatem reuereri. *Cui infamiæ etiã M. Britanniæ Regis honor inuoluitur.* Eò redigendum eſſe inimicum, ne amplius nocere poſſit, *pro inſigni ducitur Politicâ. Sic fræna laxauit virulentis paßionibus ſuis Epiſtolæ Latinæ ad Zunigam autor, quisquis ille fuit, ſiue Scioppius aliquis, ſiue Jeſuita, ſiue Capuccinus, ſiue alius.*

F A B I V S.

Scis quo odio, quâ acerbitate, quantâ auiditate tuo Principi Palatinatus ereptus ſit? minore, quàm vos abſtuleritis Cæſari Bohemiæ Regnum. Quòd ſi hîc commiſeratio Principem tuum circumſiſtere & valere debet,

quid

quid ita non valuit cùm vos violentas manus attuliſtis Cæſareis fortunis? Dicam, quod tu dicis; ſit indignationi locus, & mereatur in tanta calamitate veniam Imperator, qui ſuis à ſuis exuitur. Quis apud vos fuit Iuſtitiæ locus, quando Mercuriano Spiritu aliena prenſâſtis? Proſcriptio promulgata eſt in Palatinum ſincerâ Iuſtitiâ; ſed Iudicis partes, dices Camerari, geſſit hoſtis: quid porro? cur vos ex Iudice hoſtem feciſtis? Illéne hoſtilia facientibus amicus eſſe poſſit? Cætera quæ priuatis in litteris ad Zunigam iuſtus dolor expreſſit, neminē offendunt, qui pænis digna patrare volunt, pænas ferre non nôrunt: Imò verò ferre nôrūt, ſed in innocentis tergo. Eſtne vitio vertendū Cęſari, eò redigere inimicū, vt nocere amplius non poſſit? Hoc Iuris naturæ in eo Magiſtratu eſt, qui curam publici gerit. Hominē emotæ mentis, qui furore in alios iugulaturus inuolat, ferreis vinculis alligamus, aut neruis ita cuſtodimus, vt omnis ad lædendū facultas adimatur: ita in Ciuili vita agitur contra inciuiles turbatores, qui nunquā quieti ſunt, niſi cùm ab alio fiunt. An Palatinus à nobis calumnijs obruitur? quibus nominibus? appellamus eum vſurpatorem alienæ poteſtatis, aut quod idem eſt, tyrannum, Regni raptorem, Rebellium caput, Cæſareæ Maieſtatis contemptorem, proteruum clientem, & ſi quæ ſunt his ſimilia. Iſtáne in calumniarum numero? eximas ergo facta veſtra è facinorū numero; deſinemus talia loqui, vbi vos deſieritis facere. Quòd ſi perrexeritis

iam

iam actis paria agere, paria quoq; loquemur. Scapha appelletur Scapha, ideo neq; te Camerari bonũ conſiliariũ nomino, quia malum egiſti. Impetum etiam in Secretarium Cæſaris facis, quaſi acerbo calamo vſum; laudo calamum parem facinoribus. Quis ſe ſama ſemper aut pauera ſpargat contra tam atroces Caluiniſtas? verbera in alios torquent, & ipſi verba non ferunt! Mitiores erimus, cùm ipſi fuerint.

CAMERARIVS.

Sed primùm hoc cuncti ſciunt, Caluinianorum (ita enim Orthodoxos vocant) inſtitutionem nihil magis abhorrere, nihil magis execrari, quàm perfidiam, & illa ſcelera, quæ nunc per calumniam in illos detorquentur. Hoc enim ſcripta ipſorum, & vita hominum ſatis euincunt. Verùm ex quâ Scholâ, Æquiuocationũ, Retentionũ mentalium, & Euaſionũ, *hoc eſt, mentiendi, & promiſſa fidemq; violandi,* Ars & Praxis, *ac deniq; ex peſtifera illa inſtitutione promanauit* Parricidiorũ in Reges & Principes immanitas? *Nónne Ieſuitarum hæc eſt profeſſio, toti mundo vt perſpecta, ita inuiſa? Demonſtrarunt hoc iam dudum clariſſimis ſcriptis præſtantiſſimi viri Romano-Catholici, vt quæ in hac materiâ ſiue Lutherani, ſiue Caluiniani (ita vulgo dicti) ſcripſerunt, non ſit opus adducere. Ne longius abeamus, aut ſuperioris & no-*

Digitized by Google

ſtri ſæculi exempla congeramus, de vulneratis & occiſis Regibus Galliæ; de toties per inſidias nefariè petitis glorioſiſſima Regina Eliſabetha, & vtroq; Principe Auraico, Wilhelmo & Mauritio; de horrenda machinatione pulueraria in Regem Iacobum, Reginam, Regios liberos & Proceres totius Regni Angliæ: Annon vnica Scioppij Epitome, qua Claſſicum ſanguinolentum in cunctos Reges ac Principes Euangelicos cecinit; tum deniq; Secretæ hæ Epiſtolæ, quas Deus nuper in lucem protraxit, illius Ieſuiticæ Inſtitutionis infallibile documentũ exhibent?

FABIVS.

Lubet & quidem ingenti lubidine Camerarium Satyra plectere, Satyræ auctorem, ſe ſuóſq; onerari iniuriâ arbitratur, cum Caluiniani vocantur, & tamen è fætente Caluini aqualiculo prodière. Ariſtotelici ab Ariſtotele, eius ſectatores, dicuntur, Platonici à Platone. Quæ hîc iniuria, ſi ſicloquar. Caluinus vobis nouum Euangeliũ annunciauit, quod didiciſtis; ſi Caluiniani Diſcipuli nominari non vultis, Euangelium eius proijcite. At Orthodoxi eſtis, ita tutè vos appellas. Quid ſi ego me Regem Chinæ appellem? eróne quem me dico? Qualis in conſilijs fuiſti, talis in Religione es, nuſquam rectus, nuſquã probus; fallis & falleris; & quia Orthodoxi videri vultis nihil magis, vt ais, execramini, quàm perfidiam & ſcele-

ra,

ra, quæ per calumniam in vos torquentur. Mirum verò eſt cùm tam multi apud vos ſanctitate præſtent, non inueniri aliquem Papam Caluinianorum, qui demortuos tantæ Religionis homines in album Sanctorum referat. Non eſt ſecta quæ magis perfidiæ infamià laboret, quàm veſtra. Ne dicas probitatem ac virtutem apud vos habitare, non credimus; perfidiam apud vos diuerſari nobis conſtat, quia ſæpe ianuam exit, vt noceat. Qualia qualia veſtra ſcripta ſint? (iam enim illa ad nullum tribunal cito, neq; mei moris digladiari verbis, aut cum prædicantibus, aut cum eorum nepotibus) Caluiniana ſunt: Simulant ac diſſimulant; ſeu loquantur ſeu ſcribant Caluiniſtæ, perpetuóq; audio aut lego, quæ loquuntur aut ſcribunt, quæ velint; nunquam audio nunquam lego. Ambigua omnia, infida omnia: deciperent certè, niſi pares qui intelligerent, inuenirent naſutos: Multa nouimus Catholici, mei Caluiniſtæ, ſed non vtimur; Imò verò vtimur ex Caluiniſtæ huius mente, hinc enim apud nos æquiuocationi locus; ancipiti reſponſo venia: Ieſuitæ politicas has technas in Europam inuexêre, ſicut etiam funeſtam de Regibus mactandis doctrinam. Quàm ægrè deglutiunt Caluiniſtæ æquiuocationes, & per inhoneſtam interim gulâ mendacia atq; periuria transmittunt? Noſtri Theologi æquiuocationes tum licere tantùm arbitrantur, quando qui me interrogat, nullâ auctoritate, nullo iure, nullius vi pacti interrogat, cui ego nihil debeo;

ſed caueo ſolùm aut malum, aut incommodum meum; Exemplo rem capies. Duo Hiſpani fratres iter faciunt per Palatinatum genti illi ob religionem infeſtum; & quia hoc non ignorant, domum genuſq; tegunt. Fortè fit, vt in hoſpitio aliquo interrogentur à Caupone, an Germani ſint; ne quid moleſtiæ ſubeant, haud falsò dicunt ſe Germanos eſſe; Germani enim ſunt, ijſdem parentibus nati. Sed alter decipitur inquies: magna nimirum & noxia deceptio, ſi tu neſcias me, qui hæc ſcribo, Heidelbergenſem eſſe. Nobis, quam inculpatam docemus, æquiuocatio innoxia eſt. Neq; falſum per eam enuntio, etiam ſi quæ tu poſtulas non ſignificem, nullo tibi nomine obſtrictus. Vobis omnia dicere licet, omnia facere ſine religione; iam æquiuocatio noxia; iam vſurpatur turpe mendacium, alteri exitioſum, iam aliæ fraudes. Falſum prætereà eſt, ſi vis, vt apertè dicam, Catholicorũ Scholas docere artem mentiendi, promiſſa ac fidem violandi. Nemo ex Catholicis infamem hanc artem docet, omnes damnant; damnant & vos, hanc artem factitantes: quanquam apud peritiores rerum Caluiniſticarum vos fidem haud quaquam fallitis, quia nec mente datis, nec verbis facitis. Seu hoc, ſeu illud dicatis, nihil credimus, nec decipitis: inſons turba. Sed de via ſecedamus, Ieſuitæ telis armati in magna capita ruunt. Regum, Principúmq; iugulum petunt, Iuuentutẽ ad idem facinus in Scholis armant. Et hæc immanitas profeſſióque toti Mundo, ait

meus

meus Camerarius, vt perſpecta, ita inuiſa eſt; & ne videatur calumnias ſtruere, magnis teſtimonijs Ieſuitas premit: Lutherani ſileant, Caluiniſtæ ſileant: Romano-Catholici hos latrones demonſtrant. Rectè facis Camerari, quòd Caluiniſtis ſilentiũ imperes, nunquam veriores ſunt, quàm cùm tacent. Catholicis dicendi locus detur; Adduce Oratorem, impera verba: Adſtamus arrectis auribus, loquatur quiſquis ille hominum ſit. Oſtende ſis Camerari, vbi ille fandi peritus? Neminem video præter calumniatorem Camerarium, qui Romano-Catholicus eſſe non poteſt, quia Caluini more loquitur. Vnus Mariana, quæ nimia videbantur, de Tyranno ſcripſit; de Regibus aut Principibus diſputatio non fuit; & tamen quis ex eius libro tam grande latrocinium didicit? quis in quæſtionibus etiam atrociſſimis faſſus eſt, ſe Marianæ libro aut animum cædis, aut ſpiculum petiſſe? Cæteri Ieſuitæ omnino innocui; mitiùs in hoc genere docuêre, quàm alij, & vos Caluiniſtæ obiectare audetis, politica iſta Reipublicæ noxia, ac Regum parricidia Ieſuitis. Europa omnis eorum innocentiæ patrocinatur; ipſa illa regna, in quibus Reges incæſto ferro occubuerunt, palàm teſtantur, neque conſilio, neq; manu Ieſuitica tantum nefas patratum. Exempla quæ adfers, exempla perditorum ſicariorum ſunt, non Ieſuitarum. Noſcuntur palã interfectores Regum ac Principum, & iam quotidianos cultros Caluiniſtæ acuunt in Mauritiũ, Statuum in Bel-

gio Ducem tandem periturum inſanorum hominum ferro. Scioppij libros ad Auctorem defendendos ablego, ſatis illi virium in calamo; configet te. In Epiſtolis Catholicorum Principum à vobis publicatis, neque de æquiuocationibus, neque de fide violanda, neq; de fraudibus, neque de Regum Principúmque cæde agitur. Vnus morte dignus Palatinus appellatur ab eo, qui iure rebellem ni clementia mentem occupâſſet, plectere poterat; puto quòd & veſtra iura, Iuris-peritorúmque libri doceant, permiſſum eſſe Magiſtratui, noxios ex lege neci dedere. Quo ore autem effutis Principum has litteras documentum exhibere Ieſuiticæ inſtitutionis, hoc eſt, laniena Regum & Principum? Contra quem pertinent verba Cæſaris, niſi contra vnum perduellem & proſcriptum Principem? neq; tamen vllus, aut monuit aut ſuaſit, vt interficeretur. Quæ hæc procacia linguæ tuæ, Imperatorem & alios magnos Principes, aut perfidos, aut fidei violatores in theatrum inducere cum telo more Latronum, aliorum capitibus clanculùm inſidiantes?

CAMERARIVS.

Fruſtra igitur laborant, qui hanc labem à ſe in Caluinianos deuoluere ſtudent. In tota Anhaltina ſecreta Cancellaria nihil tale inuenies: nulla eiuſmodi myſteria, qualia infinita in paucis Epiſtolis illis prudenti Viro, & Reipublicæ Germaniæ amanti, licet eruere. FA-

FABIVS.

Impudentiorem Scriptorem non legi: deuoluere inſanias tam crudeles in vos non laboramus, ſatis inſanitis, & compedes potius circumſpicimus. Quid in his omnibus Epiſtolis Imperio pernicioſum? Salus Imperij in ijs tractatur, & ſalutis conſequendæ conſilia: ſed hæc aduerſum vos ſunt? omnino ſunt, quia vos Caluiniſtæ Imperij peſtes; neq; noſtra conſilia veſtra merita exæquant, quia mitiora ſunt. Et planè non ineptè dicis, nihil tale (quale in Epiſtolis Catholicorum eſt) inuenies in Anhaltina ſecreta Cancellaria; quia in hac, cruenta conſilia ſunt contra Imperatorem, contra Catholicos Ordines, contra auitam & orthodoxam Religionem, quæ locum in Imperio habuit, antequam vos læuia menta cunas fædaretis. Cancellaria hæc veſtra ob innocentiam & ſanctitatem haud ita multò pòſt in ſyllabum Diuinorum librorum referetur, non incommodè, quia cùm complures alios libros ex locis ſuis per ſacrilegium exemeritis, redintegrabitur veſter Bibliorum codex.

CAMERARIVS.

Quid ſi vel Monacenſe vel Moguntinenſe Archiuum, in Hæreticorum manus fortuito caſu perueniret, aut Scrinia Ieſuitarum liceret euoluere? ſed manum de tabula.

FA-

Digitized by Google

FABIVS.

Manum de calamo debebas dicere, quia proſcribenda ſcribis. Proficiſcere Monachium aut Moguntiam, & ipſemet Archiuum explora: vbi adyta iſta arcanorum intraueris, fatebimur ingens ac pernicioſum in ijs malum eſſe. Quoties repetendum eſt? nihil noxij de vobis vnquam voluimus, antequam vos machinaremini. Quid in Ieſuitarum ſcrinijs ſit, mihi haud quaquam compertũ eſt, quia non excuſſi ea, minimè tamen dubito non placitura vobis illa, quia multum ipſis operæ eſt, vt calamo portentoſa veſtra dogmata depingant, & exitiales Chriſtianæ Religioni fraudes ſtylo aperiant. De armis, de bello, de cædibus, de reorum ſupplicijs, tantum illis labor, quantum vobis precum in Catholico templo cùm Miſſa legitur. Intratis, vt exeatis.

CAMERARIVS.

Conſideret tamen candidus Lector: Poſtquam inter Cæſarem & Bauarum Monachij fædus illud ictum, poſtquam Inueſtitura Palatinatus Bauaro collata, inſcio toto Imperio, inſcio ipſo Hiſpaniarum Rege; nihilominus illum, vt ſupra quoque indicatum, Palatinatui ſecuram pacem, Vlmenſi tranſactione, ſanctè eſſe pollicitũ.

FABIVS

O' os immane. Ergo Dux Bauarus poſt inueſtiturã Palatinatus acceptam, Vlmenſi poſteà tranſactione pollicitus eſt pacem Palatinatui? Inueſtitura collata eſt

anno

anno M.DC.XXIII. & pax promiſſa anno M.DC.XX. En quantum temporis ſpacium impleat falſum tuum dictum; quod ſpacio non minus eſt. Promiſſio inueſtituræ antiquior fuit, ſed nec tamen ita antiqua, vt facinora veſtra anteceſſerit; poſtquam vos meruiſtis, vt Palatini dignitatem amitteretis, & Bauarus præſtitit vt eam acciperet; pollicitus eſt Cæſar Bauaro Electoratum, Militiæ præmium.

CAMERARIVS.

Nolumus hîc delabi in locum communem, nec comparationem actionũ inſtituere; vtra Religio, fidei & iuramentorum ſanctitatem colat, aut negligat? Ipſi lapides loquentur, ſi hominibus maieſtatis metu ſilendum eſt.

FABIVS.

Imò verò delabaris in locum cõmunem, aut quemcunque alium, cum putida lingua, dummodò quies detur terris. Noſtra Religio & docet iuramenta oportere eſſe ſancta, & pariter ſanctè colit: veſtra quid doceat vos videritis; quotidie fallitis & potiùs ego Turcicæ dextræ credo, quàm Caluinianæ; clament lapides, ſi miraculum patrare nôſti; pro nobis clamabunt; quanquam tu non inſipidè muta ſaxa in teſtimonium vocas, nam animantia, quæ loqui nôrunt, contra vos loquuntur. Maieſtatis metus, ſi deſperatum hominem mouere potuiſſet, pri-

dem ſilentium impoſuiſſet. Qualia illa erunt, quæ tacendo ſupprimis, cùm intolerabilia fuerint, quæ palàm effutiuiſti.

CAMERARIVS.

Hoc verò Heroicis animis omnino indignum (quod nunc fortunæ ſtatu elatis ſolemne) vt ſuperbè inſultent victis & exprobrent lapſis infortunium. Quod libellis etiam famoſis ac picturis, nunc vbiq; fieri ſolet. Sed profectò Deus vindicem oculum habet: & qui proſperiori rerũ ſucceſſu nimis exultant, aut victoriâ ad tyrannidem abutuntur, felicitatis ſuæ ſponſorem inter mortales nullum habent, qui fallere nequeat. Neſcis *enim* quid ſerus veſper vehat? *Deſperationis etiam aſperrimum telum eſt, & plerunq; in vibrantem reſilit.*

FABIVS.

Lamentatio hæc tua eſt, mi Camerari, quæ ſubire memoriæ tuæ debebat penſanti ambiguam belli, quod inchoâſtis, fortunam. Acerbi tibi ſunt Catholicorum ioci; at ipſis etiam non admodum ſuaues fuêre veſtrorũ minæ, truces & ſuperbæ ante tubam. Exitium nobis palàm decantabatis; iam perieramus omnes vaticinijs veſtris, inſultâſtíſque intempeſtiuè victuris; patimini & nunc, ſi victis paria narremus; contemnimini, quia contempſiſtis. Quanquam verum fateri cogor, quædam

chartæ

chartæ haud magno ingenio adſperſæ, vulgi oculos delectârunt, quas prudentiores damnârunt, & omnia illa Ethica, quæ exhortationis loco hîc enumeras, non neſciebant; ſed quis tantũ inundantis populi theatrũ conpeſcat? prout Hiſtrionum actiones cernunt, ita clamant. Si vos ciuiliorem fabulam dediſſetis, aliter applauſiſſent. Illud, quo conſiderationem claudis, epiphonema mærori tuo condono. *Deſperationis aſperrimum*, ais, *telum eſt, & plerunq; in vibrantem reſilit.* Rectè; deſperatio & eius telum apud vos eſt; ſi telum acerrimum eſt, & in vibrantem reſilit, reſiliat, vt ſuperſedeam ego neruos intendere.

CONSIDERATIO XVI.

CAMERARIVS.

C*Onſiderandum diligenter*, Quod Eccleſiaſtici Principes in Imperio, belli huius infelicis ſocij, & participes, imo auctores & incentores ſunt: Quòd ex S. ſuæ Ligæ confœderatione omnia habent communia; Atque ita in rei veritate non minus Electori Palatino hoſtes fuerunt, atque ipſe Spinola, aut Bauarus, qui Catholici Exercitus Generalis: *vt ipſe ſe appellat in Tranſactione Vlmenſi & alibi. Affirmat etiam Imperator in Epiſtolâ ad Zunigam:* Ipſos hoc bello ſibi adſtitiſſe: atque idcirco Eccleſiaſticis non ſine causâ metuit, ne

iuſta ac neceſſaria vindicta de ipſis aliquando expetatur. *Apparet etiam ex Bauarica Inſtructione Legato Bauari, Bartholomæo Ribelio, Iuris Licentiato, datâ, & ab ipſo* XXXI. *Octobr. anni præteriti, Moguntino Præſuli exhibita; vt illa eſt in multorum manibus*: Ex legibus fœderis, Directionem belli in Inferiori Palatinatu Moguntino oblatam; ſtipendiorum, annonæ, reliquarum neceſſitatum curam ipſi impoſitam. *Prudenter. Nam vt Spinolæ & Cordubæ labore ſuccedaneo, ita Epiſcoporum ſumptu, pecunijs ac periculis, Palatinatum acquirere Bauarus ſatagit.*

FABIVS.

Quid vis Lectorem conſiderare, quot, qualéſue fuerint belli apud Catholicos Socij? Conſiderare eoſdem, & quidem tanto numero debebas, olim futuros. Quis negat inter Catholicos contra vos Societatem initam? Vt ſua quiſque ſeruaret, habuere, quemadmodum tu dicis, omnia communia, quia vos nitebamini omnia veſtra facere. Prô Deum immortalem, quale facinus, ſi præter Electorem Bauarum cæteri Germaniæ Principes Cæſari adſint, & contra rebelles propugnent! At Cæſar in Palatinatu defendendus non erat; ita eſt; ſed ibi puniendus erat Cæſaris hoſtis. Imò quia vos vexâſtis Catholicorum prouincias, aliud bellum idq; iuſtiſſimũ

exci-

Digitized by Google

excitâſtis, nouâ iniuriâ irritati Catholici, Palatinatui infeſta ſigna intulerunt, omniáq; ſui iuris fecêre, ita vt nec terræ palmum retineat, qui tot prouincias Cæſari eripuerat, iuſtiſſimâ vindictâ.

Imperijs impone modum, modus optimus hic eſt,
Viuere contentum proprijs, aliena cauere.

Nec Cæſari cùm bellum facere cœpit, nec Hiſpano cùm auxilia miſit, nec Ligæ Catholicæ cùm arma iunxit, neque ipſi Electori Bauaro propoſitum fuit, Palatinatum occupare; ſed recuperare, quæ abſtuleratis, ac pacem Imperio reddere, quod tandem, vti res fluebant, aliter fieri non poterat, niſi & vos veſtris ſpoliaremini, eóque redigeremini (quæ verba tibi cor exedunt) ne ampliùs nocere poſſetis. Itaque ſi quid expenſi Epiſcopi fecêre, ſuâ causâ fecêre; nequaquam autem vti Bauarum ditarent, iam antè opulentiorem, quàm velitis: quòd ſi ex victoria Bauarus creſcat, nemo facilè inuidebit, niſi qui iacturam faciunt, & meruerunt omnia quærendo, vt nihil haberent.

CAMERARIVS.

Fruſtra autem Moguntinus, ſenex Miles, ſe excuſauit, ſerâ pænitentiâ forte ductus: cum iam diu ante, Marchionem Spinolam, in Palatinatum, ipſe plenus ſpei, & ſuauis alienæ calamitatis ſpectator, adduxit conſilio & ope iuuit; Vaudemontium

Digitized by Google

ad nouam diuerſionem faciendam perſuadendũ eſſe cenſuit; & alia Cæſari, parũ ex ſincera mente ſuggeßit, quæ legere licet in ipſius ad Vicecancellarium Vlmenſem Epiſtolâ. Nunc cum fructus belli deguſtare cæpit, Neutralitatis *fuco ſe tueri nititur.*

FABIVS.

Cauſas cur ſe à militię onere liberaret, Moguntinus habuit. Quòd Spinolam conſilio & ope iuuit, reſpectu Cæſaris fecit, cuius Spinola in Expeditione illa bellica Commiſſarius erat. Suauem autem alienę calamitatis ſpectatorem fuiſſe, aut parum ſincerâ mente quædam ſuggeſſiſſe, geminata tua calumnia eſt: primò enim calamitas illa belli, quia vicina erat, ſpectatori ſuauis eſſe non potuit, quippe communis; damnum enim & ipſe, haud mediocre fecit, non vaſtatione ſolùm veſtrâ, ſed noſtrorum quoque militum excurſu, qui quacúnque diſciplinâ, aut prohiberi non poteſt, aut bellum non ſit. Deinde cui tu fidem facies, Illuſtriſſimum illum & primarium Electorem fuco vſum, & parum ſincerâ mente conſilia impendiſſe? Antiquâ fide Principem eſſe omnes nôrunt; mentem habet rectam, ſi cognoſcere vos poſſetis, qui vniuerſos Catholicos obliquos aſpicitis, & facitis. Hinc qui æſtimatur ad regulam veſtram, probus haberi non poteſt.

CAMERARIVS.

Spiren-

Spirenſis cuncta hoſtilia molitus eſt omni tempore horum motuum. Nunc oues ſuas deſerit bonus Epiſcopus, qui Hæreticos ſi vnum caput haberent, vno ictu tolleret; vt quis colligere poſſit ex ipſius ad Cordubenſem Epiſtolio. Sed nunc, cùm ſancti illi & pacifici Epiſcopi ad deſperationem adactis ijs, quos iuerunt perditum, viciſſim militum commercia experiuntur, Deos Deáſq; exclamant, & de iniurijs conqueruntur.

FABIVS.

Magno honore afficis Spirenſem Epiſcopum: paulò antè terris ſuis eum exturbâſtis; nunc Cęſari æquatis, ſed Cęſari Tyranno, qui populo Romano vniuerſo collum vnum optauit, vti vno gladij ictu concidi poſſet. Hoc votum & tu Spirenſi Epiſcopo affingis, quaſi & ipſe deuotus in Caluiniſtas laniſta eſſet, gladio paratus per compendium colla omnia ferire, ſi in vnum cöirent. Tyranni vt video tibi ſunt, Camerari, qui vos Tyrannos non patiuntur; deponamus ergo Catholici hoc triſte nomē, & ne Tyranni ſimus, ſimus, ablegemúſq; Caluiniſtas omnes in piperis patriam, & ſi quid exilij vltrà eſt. Epiſcopus ad Cordubam Hiſpanum Ducem hæc verba ſcribit: *Ego nihilominus Excell[a]. V[a]. gratias ago, & rogo quod modò per hyemis intemperiem nō licuit, quum primùm fieri poteſt Tyrannis Hæreticorum inaudita,*

ta,

ta, erga miſeros meos ſubditos frangatur. Hæc Epiſcopus contra furores Caluiniſticos opem poſtulando peccauit; cui etiam iniuriam infers, cùm ſcribis oues ab eo deſertas. Nihil deſeruit, ſed deſertus eſt, vobis gregem omnem aut fugantibus, aut mactantibus. Abijt ergo ouibus iam amiſſis, ne & ipſe rabie Lupinâ periret.

Caluiniſtarum nullo diſcrimine ferrum
Sæuit in innocuos, & ſanguine purpurat Orbē.

CONSIDERATIO XVII[a].

CAMERARIVS.

ARcanum non exiguum hoc quoq; accuratè conſiderandum: Quòd Electoris Palatini interitus eam quoq; ob cauſam accelerandus, quòd ea radice (*vt Epiſtola ad Zunigā loquitur*) non ſuccisâ rebelles Belgę nunquam ad obſequium Regis Hiſpaniarum perduci *poſſint*: perdito verò Palatino, & eius prouincijs ad Rhenum Hiſpanis poſſidentibus, Cæſarem Germaniæ, Regem verò Hiſpaniæ totius Belgij fore Dominum. *vt pleniſsimè affirmat & pollicetur Hyacintho Monacho Epiſcopus Caraffa. Et hoc præcipuum telum eſt, quo hunc Regem expugnare conantur. Nam & Cardinalis Ludouiſius idem telum Nuncio Papali Bruxellis hærenti ſubminiſtrat, vt eo ſimiliter, ad Infantem in partes pertrahendam, acriter & ſtrenuè*

nuè vtatur. Idem quoq; Nuncio, qui in Hiſpanijs, mandatum. Et ille, qui Viennæ moratur, ad eundem ſcopum non defuit ſuo officio, vt patet ex ipſius Epiſtolis.

FABIVS.

Palatinatu Caluiniſtis erepto, Hollandicæ potentiæ omnino aliquantum decedet, Camerari: nam ſucciſo brachio ipſum corpus ita minuitur, vt faciliùs Hiſpanus Belgium ſubiuget, & Cæſar quietius Imperium obtineat. Ad hanc mentem ſcripsêre omnes, quos tu hîc commemoras, & tu id ipſum gemino ſenſu ſentis.

CAMERARIVS.

Motuum *autem* Belgicorum originem ex Palatinatu alimenta ſua traxiſſe, *vt ſuauiter fingunt, ad iniuriam Sereniſſimæ Domus Palatinæ excogitatū eſt. Tyrannis Albani, Dionyſianâ longè crudelior; & atrociſſima Procerum Belgarum ſupplicia, contra datam fidem perpetrata; tam diuturni belli cauſa capútq;. Ad illud exemplum facta nuper executio Pragenſis, funeſto & infelici procul dubio ſucceſſu. Quantum verò ad cauſam Belgicam attinet, de illâ ſanè longè aliter ſemper iudicarunt defuncti laudatiſſimi Cæſares, Maximilianus & Rudolphus, cunctiq; adeò totius Imperij Electores, Principes, & Status, quàm nunc fieri videmus & miramur. Maxi-*

ximilianus Imperator fratrem ſuum Archiducem Carolum, pro pace Belgij, populis iniuſtè afflictis impetrandâ in Hiſpanias ablegauit. Matthias Archidux, huius Imperatoris anteceſſor, Caput & Gubernator Belgicorum Ordinum fuit, & cauſam ipſorũ non tantum coram toto Imperio, maximè in Comitijs Wormatienſibus, per Clariſſ. & prudentiſſimum virum Philippum Marnixium S. Aldegondium, die VII. *Maij, Anno* M.D.LXXVIII. *ſed etiam armis contra Hiſpanos, acerrimè defendit.*

FABIVS.

Alimenta ex Palatinatu turbas Belgicas traxiſſe omnibus palàm eſt. Caluiniſtæ Caluiniſtas nunquam deſeruerunt: demus enim aliunde concitatum bellum, auctum tamen id eſt, auxiliari manu, quam Palatinatus periclitantibus fratribus prębuit. Maximilianum Cæſarem per Carolum Archiducem Hiſpanum ſollicitâſſe ad pacem ineundam cum Hollandis facilè adducor vt credam, ſed vt pacem impetraret populis iniuſtè afflictis, credere non poſſum. Bellum iuſtum Hiſpanus gerebat; non ergo iniuſtè afflicti erant Hollandi. Matthias Wormatiæ rem ſuam egerat, vafritie & malo dolo Caluiniſtarum deceptus; deſtitit demum ac deſtituit rebelles, non ignarus ijs ſe imperare non poſſe, qui iugum Principis ſui excuſſerant, & ipſum dominum ideo ſolùm popoſcerunt,

Digitized by Google

ne ſeruirent; magiſtratum amant, quem gubernant.

CAMERARIVS.

Nunquam Imperium pro Rebellibus Belgas habuit, nunquam in partes ire voluit. Ipſi Imperatores & Status Imperij, aliquoties ſolemnes Legationes, ad vtramq; belligerantium partem, pro pace inter illos concilianda, decreuerunt; parum me hercle pro maieſtate Imperij, ſi Belgæ rebelles *eſſent. Res autem ipſa longe aliter ex actis publicis Imperij conſtat. Nunc apertè, vix poſt* XII. *annorum finitas inducias cæpto iterum fatali illo bello, pro* REBELLIBVS *declarantur Belgij potentiſſimi Ordines, qui confœderati ſunt tot Regum ac Principum.*

FABIVS.

Nunquam Imperium Belgas declarauit pro Rebellibus, debebas dicere, ſemper habuit, ſi Caluiniſtas excipias, quibus nulli rebelles, qui Dominis arma inferunt. Eſto Imperium nunquam in partes ierit, ergo ligonem neſciuit ligonem eſſe? Rixantes video & certamina miſcentes; ſi me neutri parti iungo, ergo illi non digladiantur? Legatos ab Germaniæ Ordinibus ad Belgas miſſos eſſe, noxę eos non eximit, neq; infra Maieſtatem Imperij eſt, ſeditioſos verbis ad ſanitatem inuitare, vbi non niſi cum magno periculo coërceri poſſunt. Vt taceam ſat viriumin Hiſpano fuiſſe ad furorem illum bellicum com-

peſcendum. Germanos arma illa non ſpectabant, incommoda tamen vicini Martis ſentiebant, tranquillóſq; fines ſuos volebant. Quanquam vos Caluiniſtæ, rerum euentu anxij, ſuaſiſtis ſine dubio per Legatos pacem, non amore pacis, ſed ne Belgæ, veſtri tribules, opprimerentur Hiſpani potentiâ. Quòd ſi dedecus eſt, miſiſſe Legatos, pars eius in vos redundat, diuites rerum probroſarũ. Nec opus eſt ex actibus Imperij publicis Hollandos noſſe, noſcuntur ex actis publicis ſuis; publicè enim & teſte omni Europa bellum Regi ſuo indixere; iam tu eos indigetes, ego nomenclaturâ abſtineo, ne tu me nimij oris hominem appelles, cùm Regem Hiſpaniæ, Hiſpanóſq; omnes caſtiges, quòd Hollandi poſt XII. annorum inducias, ab ijs rebelles declarentur, digni illuſtriori encomio, quia Regum fœdere digni: miror quòd non etiam ijs à fœdere Turcico decus adſciſcas, & à Samſone illo Pyratarum nobiliſſimo, quocum ijs amicitia & belli per mare ſocietas.

CAMERARIVS.

Vt etiam illis incommodetur, præcipua Imperij columna, Elector Palatinus, *violenter de ſtatu ſuo contra Imperij leges dijcitur.*

FABIVS.

Rurſus grande nefas memoras, Hiſpanis ridendum: quaſi verò parcendum eſſet Proſcripto Palatino; ne incommodum Hollandi acciperent. Operæ pretium fortaſſe

Digitized by Google

taſſe aliquot Hiſpanis viſum eſt, in Palatinatum propter Belgas mouere, mutuíque ſpem auxilij capto præſidijs Rheno incidere, nam Belgę à pluribus deſerti, minus formidini eſſe poſſunt.

CAMERARIVS.

Hoc parum eſt. Videbimus mox totam belli Belgici molem Imperio *impoſitam, & paulatim Electores, Principes, ac Status Imperij coactos iri, ſuis etiam armis & opibus, libertatem Belgicarum prouinciarum tanto ſanguine partam proſequendi, extollendiq; Hiſpanorum potentiam: vt ita ſtabilitâ in viſceribus intimis Germaniæ, Monarchiâ Hiſpanicâ, communis libertas, ſi qua adhuc eſt reliqua, funditus &* à radice ſuccisâ *intereat. Nam* in hac Germaniâ Domus Hiſpano-Auſtriaca ſua fundamenta habet: *vt ſupra vidimus.*

FABIVS.

Sybillam agit Camerarius, aut Apollinis Delphici Myſtem; ex tripode certè oracula fundit, ſed haud abſimilia, quæ Domino ſuo promſit, quandò illi regna aliena & fortunatas æterni æui inſulas promiſit, atq; in hunc calamitoſæ ſortis ſtatū deduxit. Imperio Hiſpanus non imminet, neq; iam vel pedem intuliſſet, niſi vos veſtrum immiſiſſetis in prouincias Cæſaris. Communis libertas potiùs per vos, quàm per Hiſpanos interibit. Multas

iam compedes fabricabatis, totam Europam, ſi licuiſſet vincturi.

CAMERARIVS.

Verùm ſi Regis Hiſpaniarum partes adeò apertè ſequi velimus; quomodo in poſterum ampliùs Imperij nomine toties in Comitijs publicis ante aliquoties decreta pacificationis Belgicæ actio reaſſumi poterit? Si bellum Belgicum ſibi cum Hiſpanis commune eſſe Imperator ducit, vt ad plenam victoriam de rebellibus Belgis Hiſpanis conciliandam, Palatinatus oppreßionem, vel potiùs Palatini euerſionem adeo neceſſariam eſſe ſtatuat; quomodo etiam reliqua Imperij membra vicina in tuto eſſe in futurum poterunt? An non hac ratione totum bellum Belgicum in Cor Imperij mox penetraturum ſit, boni ciues & patriæ amantes iudicent.

FABIVS.

Si partes Hiſpani ſequaris Camerari, in Comitijs nihil ampliùs pro Belgis laborandum erit, ſed iuuandus Hiſpanus vt terram lege naturæ ſibi naſcenti obligatam recuperet. Deinde quis Germanos Belgarum procuratores conſtituit? tota actio illa Belgica ſine Imperij damno omitti poteſt; pareant Hollandi Regi ſuo, pax erit. Sed pacem hanc illi nolunt; quare ergo Germani pacem procurare debent? Sine Domino pax placet, dices; cur

non

non etiam ſine legibus Cælum? ſed habenas inhibeo. Etiamſi Cęſar & Hiſpanus communi Marte Hollandiam inuaderent, minimè tamen quòd metueret, haberet reliqua Germania. Sat multis annis incendium Belgicas prouincias comprehendit, ſine magno Imperij detrimento. Ab vicino Hiſpano nihil hoſtile metuendum amicis. Male acturus, metuit.

Et mihi vicinos ſimiles vicinus habebo,
Quâ tulerit miles, ſentiet arma manu.

CONSIDERATIO XVIII.

CAMERARIVS.

HOc etiam arcanum minimè prætereundũ. Cauſam Palatinatus, totum Imperium, totius Imperij ſummam Pacem (nimirũ) bellumq; concernere. *Cæſar in Reſolutionibus Baroni Digbyo datis affirmat. Et ita ſanè eſt. Nam reſtituto Electoratu ſuo naturali & hæreditario Domino, pax in Imperio iterum ſperanda: ex translatione in Bauarum immortale bellum ad omnem poſteritatem exſpectandum eſt.*

FABIVS.

Bellum quod vos Caluiniſtæ cœpiſtis, ſine dubio toti Imperio incommodum attulit, & ideo Cæſar ad illud tollendũ, Ratiſponam ex toto Imperio Principes vocauit; ſed haudquaquam ad Imperij incolumitatem perti-

net

net reſtitutio tui Principis; ſaluum potiùs ſtabit, eo abſente, qui turbauit, & quia ingenium vix deponi poteſt, rurſus turbaturus eſt. Bella propter Bauarum, etiamſi Septemviratu decoratus ſit, propterea æterna non erunt, quia vobis nec ferrum æternum, nec manus, quæ iam ſatis feſſæ, pacem potiùs tantopere mulctatæ poſtulant, quàm telum.

CAMERARIVS.

Verum ſpecioſè admodum prætenditur; Cæſarem non potuiſſe proprio motu & auctoritate Regi Britanniarum de inducijs concedendis, aut pace faciendâ ſatisfacere; ſed partim ex Imperij legibus, partim ob periculorum communicationem, aliorum ipſum conſilijs vti coactum; atq; idcirco Ratiſbonam quorundam Electorum conuentum indixiſſe. *Ut eſt in prima reſolutione Domino Digbyo redditâ. Exteri putabunt Imperij comitia, de causâ tanti momenti, & de ſummâ rerum totius Imperij, habita. Capitulatio verò Cæſarea, conſtitutiones Imperij, & Cameræ Imperialis Ordinatio, modum formamq; præſcribunt, quid tali caſu Cæſarei ſit officij, quæ partes Statuum.*

FABIVS.

Falſum loqueris Camerari, nunquam prætenſum eſt, Cæſarē non poſſe proprio motu in Palatinū animaduertere. Cæſar ciuilitatis ergò, vt maiore cum gratia

Prin-

Digitized by Google

Principum omnia faceret, cauſæ tantæ molem Comitijs deſtinabat; ſed quia multi Ratiſponæ non comparuêre, cum præſentibus fecit, quod ſolus poterat. Quia nec Carolus V. Senatum Imperij ad Campos Wittenbergenſes vocauit, quandò abdicato Friderico Mauritium Electorem renunciauit. Cæſar in reſponſo quod Angliæ Legato Digbyo dedit, oſtendit propenſum ſe eſſe ad pacem, ſi Palatinus in animum induceret Regis Britanniæ, Soceri ſui ſanioribus conſilijs acquieſcere, réſq; in eo ſtatu collocare, vt neq; ſua Maieſtas, (verba ſunt reſponſi) neq; alij Principes obedientes Imperij, cauſas illas ſuſpicionum haberent, quas modo habent. Atqui iſtæc Camerari minimè obſeruata ſunt; Mansfeldius nec arma poſuit, nec à maleficio abſtinuit. Veerius expeditionem in Epiſcopatum Spirenſem ſuſcepit, Georgius Brandeburgicus ſagum non exuit, Halberſtadius terras Imperij vaſtare perrexit: Cur Cæſar obſeruaret ſua verba, quę vos non admittitis? Qui me pacatum vult, pacatus & ipſe ſit. Vnà ſimul ferrum vaginæ reddimus, aut nunquam. Exteris ignotum eſſe non potuit, cur Cæſar Conſilium Principum indiceret. Solus Palatinus cauſa tanti motus, de ſumma rerum nemo cogitabat, quia illa non agebatur, niſi à vobis, cùm arma vobis erant, & decreueratis Imperium ex Imperio tollere. Fruſtrà autem Cæſarem officij ſui admones, tui oblitus; ſcit ipſe quid muneris ſui ſit, & tu id iam ſatis ſentis; Cæſaris eſt re-

Ee belles

belles proſcribet, proſcripſit; vis vt vltra tendat?
—— clementia Cæſaris hoc eſt,
Quòd non offenſas vindicet enſe ſuas.

CAMERARIVS.

Si legibus Imperij agendum eſt, cur ab executione & vi armatâ initium huius tragædiæ factum, maximè contra innocentem Principem, pupillum, abſentem? Quod vt omni iuri diuino & humano, ita legibus Imperij, maximè eſt contrarium. Cur Imperij Elector, antequam vocatus & auditus, atroci bello, ſine forma judicij petitus fuit? Cur tot pulcherrimæ regiones deuaſtatæ, multa millia innocentium hominum miſerrimè trucidata, aut ad ſummam egeſtatem perducta fuerunt?

FABIVS.

Legibus Imperij omnino agendum eſt Camerari, & ideo vos peccâſtis, qui armis litem Cæſari intendiſtis. At Cæſarem oportebat legibus agere etiam contra armatū; inſanis Camerari, iam ſuprà te puerum riſi: nemo adeò hebes eſt, qui ſine telo apud Martem cauſam dicat. Vos vi armatâ initium huius tragædiæ feciſtis, nos poſt aliquot demum ſcænas, haſtati in theatrum venimus; mitiores non decuit. Ferrum tulimus, ferro prouocati. Tu, ſi quod iam habes ius, id legibus quære; reſpondebimus legibus: quieſcent noſtra arma, vbi veſtra non videbimus.

Fac,

Digitized by Google

Fac, quod volebas nos facere, quòd ſi graue tibi videbitur cum inermibus iure agere; ſcito nobis grauius futurum fuiſſe cum armatis, præſertim obſtinatis nulli ſententiæ parere, niſi quam ipſi tulerint. Iam aliàs dixi, tuum Palatinum & monitum & auditum fuiſſe; quid hîc repetis inanes querelas? Interrogâſtíſne vos Iure Cæſarem vtrius eſſet Bohemia, antequam occuparetis? Quæ eſt iſta Iudicij forma veſtri? Nos eam ſeruauimus, quam nobis bello feciſtis. Mi Camerari,

Geßimus exemplo, bella cruenta tuo.

CAMERARIVS.

Si causâ Electionis Bohemicæ hoc factum, priuata vindicta tantam calamitatem nunquam excuſare poterit. Quòd ſi Statuum Imperij conſilia exquirenda ſunt, An pacis tractationi locus dandus ſit? *Cur non multo magis*, An tam funeſtum bellum concitare, è Repub. futurum eſſet? *Statuum Imperij ſententia prius audita fuit? Cur Bauaro*, vltro & proprio motu, *Palatinatus promiſſus*, non admiſſo Electorum conſilio? *Quòd ſi armis locus eſſe debet; tum Conſtitutio de Pace publica, & executionis Ordinatio, quam vocant, certos gradus præſcribit, formam & modũ procedendi. Proſcriptio cuiuscunq; Status, etiam inferioris ſubſellij, nunquam niſi legitima cauſæ cognitione ritè finita, fieri poteſt aut*

Digitized by Google

debet. Verùm hæc omnia in cauſa Palatini neglecta, vt ſupra vidimus. Nunc cùm proprio motu ſine Ordinum conſilio, imo reiectis potius multorum fideliſſimis monitis, res adeo exulceratæ ſunt, & commotum ferè totum Imperium; quod ſanè nulla fieri ratio ſuaſit, nullus prætextus excuſat; aliorum Principum arbitrium exſpectare volunt.

F A B I V S.

Nihil tentatum fuit in Principem tuum propter Electionem Bohemicam, ſed propter vſurpatam ab eo poteſtatem Regiam in terris Cæſareis, ac propter arma Caluiniſtica, partim vicinas Prouincias vaſtantia, partim vaſtatura, neq; enim cœperatis in Bohemia, vt in eadem finiretis. Deſignati ſunt Principatus in Cancellaria Anhaltina, qui vobis ſuſpirati & ſperati, ita vt vindicta, ſeu priuatam, ſeu publicam appelles, neceſſaria nobis fuerit, vobis importunam non ambigo, quia ſentitis. Quæ hîc de Decretis Imperij congeris, ac modum Iuris, quem obſeruatum fuiſſe cuperes, præſcribis, obſeruare vos decuiſſet: nos eum vultum induimus, quem apud vos conſpeximus. Alia eſt Proſcriptio, quæ in pace fit, alia quæ in bello. Cauſa non auribus ſolùm cognoſcitur, ſed facto quoq;. Quid opus erat quæſtionibus indagare, an Palatinus regnum alienum rapuiſſet? fecerat id omnibus videntibus: quid opus erat explorare, an Cæſari bellum inferret?

Digitized by Google

ferret? fecerat id omnibus mirantibus. Quid opus erat arcana eius & pernicioſa Reipublicæ conſilia indagare? Ipſemet prodidit, ac ſuimet animi hoſtilis teſtis fuit. An Palatino licuit ſine Ordinũ Conſilio, ſine legitima cauſę cognitione, Cæſarem de ſolio Regio detrahere, & non liceat Cæſari Palatinum rebellem Prouincijs ſuis exuere? Dices rurſus. Palatinus Cæſari nulla arma mouit, nullũ regnum eripuit, ſed Bohemorum ſuffragijs viduum Rege regnum intrauit. Mi Camerari, audio te: ſed tu me viciſſim. Quis Bohemiam abdicato Rege viduam fecit? fac te viduitatem hanc non ſuaſiſſe (ſuaſiſti autem ſuauiſſime Conſiliarie) ergóne mox Principi tuo Męcha illa ducenda fuit? Alterius nuptijs illigatam non ignorabas, & vinculum tot dextris firmatum non fuiſſe ruptum: ſi tibi tantus amor legum, tum Bohemis eas ponere debebas; ferrum & tela capiti demum tuo incaſura auertere. Nihil autem verius hoc loco ſcribis, quàm nos nullo prætextu excuſari; planè ita eſt; iuſtis cauſis excuſamur non prætextibus; nam veſtra facinora & contrà facta noſtra adeò manifeſta ſunt, vt prætexere nihil neceſſe ſit. Fucum ac velum prætendit, qui malâ fide agit, quod vobis multis iam annis conſuêtum fuit. Neq; ipſi nos neſcimus totum prope Imperium commotum his turbis, ſed vos Auctores eſtis. Si quibuſdam Principibus non placeat Palatini Proſcriptio, diſplicere quoq; debuiſſet eius temeritas. Quis ex ijs (Saxonem, pauculóſq; alios excipio)

Digitized by Google

incanduit, cùm omnium Dominus Cæſar regno ſpoliaretur? Quis Cæſarem Bohemiâ pulſum ſocijs armis iuuit? Si Cæſar iniuriam paſſus eſt, fuiſſet Clientum beneficio & fide obligatorum, Cæſarem vindicibus armis defendere. Et iam cùm perduellis pænas luit, ringuntur aliqui fremúntq;. Indigna paſſi ſunt Dominũ ferre, ſeruum digna ferre indignentur? Sed parco pluribus onerare triſte Camerarij pectus; lętius haberet, ſi rectiùs egiſſet.

CAMERARIVS.

Sed qui ſunt illi Electores & Principes, qui Ratisbonam iam ſemel atque iterum vocati fuerunt? Illi ipſi ſunt, qui in bello Bohemico Friderici Palatini hoſtes fuerunt; & inter illos ipſe adeò Bauarus: quorum ſigna & vexilla nunc etiam in vtroq; Palatinatu defixa conſpiciuntur; qui Fridericum Palatinum maiori parte Palatinatus vi & armis ſpoliarunt. Illi iam poſt factam executionem primùm in eius caput conſultare, & ſententiam ferre debent. Sed profectò licet Ethnicus, Chriſtianè tamen locutus eſt, qui dixit. Eſſe Deum, qui quę homines agunt, auditque ac videt.

FABIVS.

Mæſtitia tua, Camerari, credo facit, quod immemor rerum & tui hæc effundas. Dices.

Da

Da mihi Mæoniden & tot circumſpice caſus,
Ingenium tantis excidet omne malis.

Igitur in parte ſuccurram, ne exorbites, ad interrogata reſponde, dic verò audacter. Solíne illi Principes Ratiſponam vocati; qui hoſtes Palatini fuêre in bello Bohemico? Vocatus fuit in cæteris Brandeburgicus Elector, Brunſuicenſis, & Pomeranus, an hi quoque in Bohemia Friderici hoſtes? Sed ipſe adeò Bauarus, cuius ſigna & vexilla in vtroq; Palatinatu conſpiciuntur, vocatus fuit: meritò pars magna eius conſilij Bauarus fuit: qui magnã partem belli geſſit, & meruit vt in deiecti Friderici dignitatem ſuccederet. Sententiam ferre, &, vt tu loqueris, in caput Friderici tutiùs conſultare non poterant, niſi poſt hoſtes ex parte domitos & factam executionem: vos ordinem inuertitis, ius & leges poſt arma clamatis, nos præſtamus; alia facturi, alia experturi. Sed delictum à nobis eſt, vobis Authoribus deliquimus, & in vos apprimè quadrat Ethnici tui dictum. *Eſſe Deum, qui quæ homines agunt audiat, ac videat.* Vidimus nos homines à vobis ſceleſtè multa fieri, cur Deus caligaret? vidit, audijt, punijt. Formidabilis eius manus eſt, *erectaq; rurſus ad ictum*, cauete.

Jupiter infeſtis populabitur omnia flammis.

Con-

CONSIDERATIO XIX^a.

CAMERARIVS.

QVamuis autem hæc omnia ita ſe habeant, vt vidimus; Magna tamen *Baroni Digbyo ſpes facta eſt Pacis & Induciarum; facta eadem aliis quoq; Regibus & Principibus; facta inprimis Vnitis.* Et hac ſpe illi perſuaſi, vt armis poſitis Electorem palatinum ad pacem oblatam amplectendam ſeriò adhortarentur, & miſſa ſimul ad Aulam Cæſaris inſigni Legatione, Pacis negotium ſumo ſtudio vrgerent. Fecerunt idem non minori cura & labore Reges Britanniæ & Daniȩ, ſed ſiniſtro euentu, vt exitus docuit. Fridericus autem Elector Palatinus, cunctas honeſtas æquáſq; Pacis conditiones ſe accepturum multoties promiſerat, atq; apud illum dictorū Regem ac Principum, autoritas plurimum poterat.

FABIVS.

Quamuis autem hæc omnia ita ſe non habeant, vt vidimus Camerari, nihilominus tu hoc loco alia recenſes, quæ etiam ita ſe non habent. Facta ſpes pacis fuit poſituris arma; quis autem veſtratiū poſuit? Non Mansfeldius, non Iägerdorſius, non Veerius, non Iunior Turnius; nec abſtitêre bello, quamdiu commeatus & argentum ſtipendiarium ſuppetebat. Sed intelligo abs te Camerarinos dolo duxiſſe quoſdam Reges & Principes, qui ſpe facta pacis, arma pro Friderico ſuſcepta poſuerint;

intel-

intelligo certè, quod ante hunc diem neſciui. Agédum verò edoce plura, & ede nomina regum exercitibus ſtipatorum properantiúmq; in auxilium Palatini? Angliæ certè Rex, ne haſtam quidem vnam poſuit, quia nullam vnquam erigere voluit, vt Regum exactoribus ſuppetias ferret. Exemplum, ſapientiſſimum Regem terret: Si Reguini auxilio Reges pelli fas eſſet, inuenirentur etiam fortaſſe, qui & illum pellerent, aliorum Regum opibus adiuti. Daniæ Regem copias ſcripſiſſe pro Friderico Regum hoſte, præter te nemo adhuc ſignificauit, certè neque ille probare poteſt viuentibus Regibus ſuccedi, ſuccedendum eſt, cùm deceſſum eſt. Atque ea de re Palatinum potiùs adhortati ſunt ad feroces ſpiritus ponendos, & ſubmittendum ſe Cæſari, quem per Legatos mollire placabilémque reddere laborârunt, ſiniſtro quidem, vti tu dicis, euentu, quia pro ſiniſtris hominibus pacémque aſpernantibus, curam & laborem impenderunt. Pacis cunctas honeſtas, æquáſque conditiones, quas acceptu-rum ſe Palatinus toties promiſit, tu ſemel conſigna, & cum Europa communica. Quid de cunctis loqueris? vel vnicam à Cæſare, Bauaróq; Electore propoſitam reſpuit. Vigente belli exordio, cùm Bauarus ex Auſtria in Bohemiam moueret, Fecialem præmiſit cum monitorijs litteris, bello abſtenturus, ſi pacem cum legitimo Rege malletis. Quid reſponſum eſt? extant litteræ ſuperbæ, martiæ, rebellis animi plenæ. Si cunctas conditiones ac-

cipere paratus fuit Fridericus, cur hanc vnâ non accepit? an æqua non erat? quid tu Camerari æquum vocas? retinere quod malè acquisîſti? alium iacturam facere, vt tu ditêre? Cæſarem Regno excludere, vt inſolenti ambitione iuuenis laureatus regnet? Enuntia porrò eas conditiones, quas poſtquam ſolum vertiſtis, accipere volebatis: pone quaſcunque dices, ſed æquas; ponam triginta, non erit vna placitura, non erit vna æqua. Cæſar faciat, quod vos voletis; hęc erit æqua; hac vnâ, pax ſancietur, ſed ad horam: vbi deinceps opportunum erit, mouebuntur rurſus bella, rurſus ſpoliabimur: ſi & nos armabimur, petetur iterum pax, ſed æquâ rurſus Caluiniſtis conditione, vt habeamus ſcilicet ea, quæ nobis ipſi relinquent. Nondum hinc dimoueor Camerari: ſi Princeps tuus paratus fuit accipere quaſcunque conditiones, quid ita id non ſignificauit Cæſari? cur litteras nullas miſit pœnitentię indices? Oſtende ſis Epiſtolam Palatini eiuſmodi. Inuictiſſime Imperator, Camerarij, Pleſſeniíque mei conſilijs, iuuentâ in ambitum inclinante regnum occupaui, meúmque putaui, quod tuum erat, ac mox litem tibi armatā obtuli, & eheu ſenſi. Deus rerum arbiter atrocem dixit ſententiam, quâ & ego & exercitus meus cecidit: Malum expertus, vindictam neſciui. Fugi è Regno malè parto, vt redirem; Comites alios paraui, qui reducerent, ſed & hi ad Rhenum cæſi ferro tuo. Iterum fugi inermis; armatus ſubſtitiſſem.

Iam

Iam ad vltimas maris oras relegatus, quia obeſſe ampliùs non poſſum, erratum agnoſco, temerè feciſſe confiteor, tuam clementiam appello. Ignoſce ambitioni, ignoſce ætati, quæ me pręcipitem egit. Reliqui tibi terras tuas, tu redde mihi meas, quas prô dolor amiſi, vt tu tuas haberes. En Diadema infauſtum capiti meo detraho, & ad pedes tuos ſupplex pono, genua clementiæ tuæ prehendo, lacrumans oro, iudicio tuo me permitto, acturus omnia, paſſurus omnia, modò idem veniæ locus ſit, qui offenſæ fuit, apud eum præſertim cui magnæ laudi non erit, exulem perſequi. Nimis magnus Cæſar eſt, qui gloriam à proſtrato petat. Triumphus tibi ſit Cęſar, Cęſare dignus; peculiari Dei munere, quod nemo hactenus Imperator vidit, videre te Caluiniſtam Principem precantem. Eiuſcemodi inquam Epiſtolam Camerari recita, & fidem verbis tuis facies. Nam de nulla alia pœnitudine veſtra nobis conſtat, quàm quòd doleatis, alienas vos prouincias reliquiſſe, veſtras perdidiſſe.

CAMERARIVS.

Sed illo ſimulatæ pacis exquiſitiſſimo artificio interim hoc obtentum; Vt ſecuritate inſtillatâ interpoſitoribus, Palatinatus occupatio eò faciliùs procederet: Vt Vniti dimiſſo exercitu non ita citò arma poſſent reſumere: Vt Angliæ, Daniæq; Reges, auxilia promiſſa non ampliùs iudicarent eſſe neceſſaria: Vt Hungari, Sileſij, alij, perſuaſi factam iam cum Palatino per illius re-

ſignationem tranſactionem, ſine mora & difficultatē redirent ad obſequium: Vt Marchio Iagerndorfius tandē & ipſe ſuccumberet: Vt Tabor, aliaque Bohemiæ loca, ſine labore recuperari poſſent. *Sunt multa alia vtilitates, quæ ex iſta pacis ſimulatione ad Confœderatos, in Electoris Palatini oppreßione maturandâ, redundarunt: de quibus hîc pluribus dicendi locus non eſt.*

FABIVS.

Simulatam pacem vobis nunquam obtulimus, ſed fidis ſpem fecimus. Quid nos poſſumus, ſi vel vos à vobis tantum impetrare nequeatis, vt fidi ſitis; facta verbis æquentur. Spinola cum Proteſtantibus pacē iniijt. Conditiones vulgatę ſunt, inter illas nec vera, nec ſimulata pax Palatino promittitur. Rex Anglię auxilia neceſſaria non iudicauit, quòd veſtram cauſam damnaret, & alia rei componendæ media animo volueret. Daniæ quoq; Rex, armis malam cauſam defendere nequaquam cogitauit; atq; idcircò per Legatos apud Cæſarem precibus inſtitit, vti Cæſar iuſtæ vindictæ modum poneret, & clementiâ finiret, quod Iuſtitiâ inchoâſſet. Iagerndorfius ea, quæ occupauerat, non ſpe pacis, ſed neceſſitate deſeruit, pro more Caluiniſtarum, qui cùm bene agunt, malis adacti agunt. De alijs pacis ſimulatæ vtilitatibus in Catholicos redundantibus, quia tacere mauis, tacebo & ego, & meliore iure, quàm tu, quòd de rebus ſimulatis minùs, quàm Caluiniſta ſciam.

CONSIDERATIO XX.ª

CAMERARIVS.

Vt autem tota res adhuc fiat manifeſtior, conſiderabunt diligentiores, multas quoq; alias circumſtantias in toto hoc negotio de tranſlatione Palatinatus inprimis notabiles. Legato Anglico induciæ in Palatinatu promiſſæ fuerant; & Cæſarem curaturum receperant; vt illis non minus Infans Hiſpaniarum, & Bauarus, aſſentirẽtur; *quod etiã litteræ ad illam ſcriptæ præ ſe ferunt. Sed ex reſponſione Infantis Domino Digbyo Bruxellis datâ apparet.* Contrarium mandatum eodẽ prorſus tempore ad illã tranſmiſſum fuiſſe: *& hoc etiam Cardinalis Ludouiſius Nuncio Papali Bruxellas perſcripſit. Interim Cæſar ad Infantem Legatum Britannicum remiſit; hæc illum iterum ad Cæſarem. Cæſar in Bauarum moræ cauſas reiecit: hic in illius iuſſa. Ita in orbem res rediјt. Bauarus verò de Inducijs, multo minus de pace, vnquam quid audire voluit, ne bolus ipſi promiſſus elaberetur ex faucibus.*

FABIVS.

Non eodem tempore, ſed diuerſo, diuerſa aut reſponſa, aut mandata pro diuerſitate factorum veſtrorum data ſunt. Deſtituris bello, facta pacis ſpes eſt, turbaturis

porrò nihil promiſſum,ſed quod meruiſtis factũ. Quàm vellem ſignâſſes locum Epiſtolæ,in qua Elector Bauarus moræ cauſas in Cæſarem reijcit, & contrà Cęſar in Bauarum. Vti ſuprà in eodem genere conuitij falſa locutus es, ita & hîc loqueris, vt ſermo tuus in orbem redeat. Bauarum induciarum mentionem ægrè ad aures admiſiſſe,mirum non eſt, quippe nihil profecturarum; diſſipatæ intereà loci fuiſſent pecuniæ,miles otio alendus,& ſpacium dandum hoſti, vt vires colligeret, & inducias, quas primus poſtularet, primus rumperet. Callidior Bauarus Elector eſt, quàm vt eò non videat,quò vos collineatis. Pax ei honeſta nunquam non arriſit, pax inquam,quæ tutam præſtitiſſet rem Catholicam, non dialem aut menſtruam, & ad libidinem Caluiniſticam rurſus increſcentem, violandam. Hæc ei pax potior fuit bolo tuo, quem faucibus eius deuotum tu vbique clamas; quanquam promiſſas belli manubias iure poſtulare poterat; Vos bolum alienum & vetitum non ſine ſacrilegio deuorâſtis, ſed & rurſus exſpuiſtis inſperatâ medicinâ,Cęſareo Bauaróq; puluere temperatâ.

CAMERARIVS.

Sed vt res omnis ad alios, maximè Britanniæ Regem, tegeretur, à Cæſare impetrauit Bauarus ad ſe grauiſſimas litteras quibus ex compoſito iubet, Omni reſpectu ſepoſito, & inducijs omnino inſuper habitis,Palatinatum Superiorem ſuo nomine occupare, &

ſub-

ſubditos ad iurandum in Cæſaris verba redigere. *Nam Bauarus ſemper metuit, ne fortè à Cæſare aut Infante inducijs conceſſis, & Pacis tractatu inito, Regis M. Britanniæ poſtulatis in reſtitutione Palatinatus Cæſar annueret: Vti ex Inſtructione Bauarici Legati Ribelij, Moguntino exhibitâ, euidenter liquet.* Bauarum inducias omni tempore, etiam in inferiori Palatinatu, diſſuaſiſſe & impediuiſſe, Hiſpanóſque ad vim continuandam adhortatum fuiſſe. *Confirmatur hæc illius intentio animi etiam multo clariùs ex Wilhelmi Ducis, patris, ad Colonienſem Archiepiſcopum filium Epiſtola; &* quàm ille quoq; ſollicitus ſit, ne fortè pax aliqua inter partes coëat.

F A B I V S.

Os tuum ad quæuis effundenda patulum eſt Camerari. Vbi pudor? impetrauítne tecto Bauarus Elector aſtu ab Imperatore litteras, quibus Exercitui ſuo via in Palatinatum ſterneretur? Cæſar comperto Mansfeldiũ in Palatinatu Superiore belli ſedem figere, atq; inde Bohemiæ periculum ſtruere, vti Bohemiam ſecuram redderet, mandauit Bauaro Mansfeldium perſequi, atque Palatinatum aduerſos incurſus futuros præſidijs munire. Exequutus eſt mandatum Elector Bauarus, exercitúſque ſui terrore Mansfeldium eò adegit, vt fraude elaberetur, verâ virtute non potuit. Suprà dixi inducias Electori Ba-

uaro

Digitized by Google

uaro nunquam probatas fuiſſe, & ideo timere potuit, ne importuno tempore darentur, cum publico rei Catholicæ diſpendio, atq; ob eum finem illas identidem deſuaſit, vtpote ijs profuturas, quibus, nocendi Catholicis, animus nunquam defuit, ſed facultas. Iniuriam autem infers Sereniſſimo Electoris Bauari parenti, tanquam pacem aſpernanti. Pacem omnes popoſcerunt; turpiſſimâ ex tua ipſius interpretatione, Sereniſſimus Dux noluit, pacem, inquam, illam, quam nec tu à tua parte acceptares; quanquam vos Caluiniſtæ turpiſſimâ pace delectamini, quia cùm quies eſt, meditamini impia bella,

Bella per agnatos plusquam ciuilia campos,

& ius ſceleri dandum.

CAMERARIVS.

Sciebat enim vterque Cæſarem in primâ reſolutione Baroni Digbyo expreſſè declaraſſe, ſe inclinare & diſpoſitum eſſe, ad gratificandum Regi M. Britanniæ, qui nihil magis, quam Palatinatus reſtitutionem poſtulauerat *Igitur quamuis & ipſe Bauarus verbis tantùm,* Pacis ſtudium, atq; adeo Pacis conditiones à Domino Digbyo ſingulatim fuiſſe propoſitas: *in litteris ad ipſum* ſe optare *ſimulaſſet: Omnibus tamen modis, vi & clam, Pacis negocium diſturbauit; exercitus auxit, Tillium ad fines ſuperioris Palatinatus inuadendos miſit; tandem ipſe quoque in*

illum irruit. Verùm omnia ſub velo & nomine Autoritatis Cæſareæ, & conſeruandæ Pacis publicæ, artificioſè tecta. Nunc autem veritas rei ſole meridiano clariùs elucet. Et tamen Cæſar in litteris ad Baronem Digbyum ſcriptis XII. *Octobris, Anno* M.DC.XXI. *ait*, Omiſſam tantiſper, quoad Superiorem Palatinatum, banni executionem fuiſſe, *eo ipſo tempore, quo ille à Bauaro hoſtiliter occupatus fuit, & cùm tribus tantum diebus pòſt, illæ litteræ in Hiſpaniam ſcriberentur. Hinc etiam in inferiori Palatinatu inducijs nullus ampliùs locus, quòd res in Superiori, Bauaro feliciter ceßiſſet, atque ideo ipſius exercitus, in Inferiorem quoq; Palatinatum transferendus eſſet, quòd euidentiſsimè euentus rerum docuit: & teſtatur etiam Cardinalis Ludouiſij Epiſtola.*

FABIVS.

Bauariæ Principibus conſtitiſſe, quam ſpem Britanniç Regi Cæſar fecerat non ambigo, ſed inficior Bauarũ Electorem ſimulatæ foris pacis oſtentatione, bellũ mente aluiſſe. Pacem æquã ſemper optauit, ſed non veſtram: Bellum poſtliminiò reparauit, quia vos perpetuâſtis, & cùm oportuiſſet arma ponere, ſumpſiſtis. Calumnia tua eſt, quòd vi & clàm Pacis negotium diſturbârit; vos diſturbâſtis. Mansfeldius hoſtilia eo ipſo tempore fecit,

Digitized by Google

Halberſtadius, vt eadem faceret Militem legit; neq; Tillius mandatu Electoris Bauari Palatinatui propinquauit, vt ſigna inferret, ſed vt Mansfeldium Bohemię prædis inhiantem coërceret. At & ipſe Elector Bauarus, quod tibi dolori eſt, in Palatinatum irruit; omnino Camerari, irruit Cęſare iubente; quia Mansfeldius ex Palatinatu irruerat in noſtros Milites, irrupturus etiam in Bohemiam Bauariámq;, niſi Prouincias haſtis Bauaricis ſeptas inueniſſet. Velo autem Bauarus nullo ad hanc expeditionem vſus eſt. Vela adhibent, qui dolis agunt, vt vos Caluiniſtæ. Quot velis inuoluiſtis conſilia veſtra? antequàm in publicum conſtaret, quàm mali fuiſſetis occultè? omnia plena fraude in Cancellaria Anhaltina, omnia technis, omnia plena Caluiniſtis, vt aptiſſimè nominem conſilia veſtra. Dicam, quod tu dicis, huius rei veritas ſole meridiano clariùs elucet. Omiſſam quidem voluit Cæſar Electoris Bauari executionem in Palatinatu Superiore, ſed voluit etiam ex eodem Mansfeldium faceſſere; & quia is hoſtis eſſe perrexit, in illum quoq; eundum fuit, atq; ita non tam Palatinatus per Bauarum hoſtiliter oppugnatus, quàm Mansfeldius in illo, poſitáq; ſunt in Ciuitatibus poteſtati Cęſareæ ſe dedentibus peropportuna locorum præſidia, vt vicini, interclusâ ad reditum hoſtilem viâ, à periculo ſecuri agerent. Sed fac, alia & alia ſcripſiſſe Cęſarem, alio atq; alio tempore: nullius ideo inconſtantiæ reus eſt. Conſilia cum euen-

tibus

Digitized by Google

tibus mutantur, ante triduum induciæ placuere, poſt triduum repudiatæ ſunt, quòd Caluiniſtæ aliter fecerint, quàm debuerint. Hamburgum Camerari vbi veniſti, primo die facundiâ tuâ deliniti probiſſimum te iudicârunt Ciues, palámque exilio indignum pronuntiârunt; at tertio die ſaturi iam verborum, auditâque aliunde vafritie tuâ, deſpicere atque execrari cœpere. Quæ quæſo hæc inconſtantia? Non eſt inconſtantia, re mutatâ, mutare mentem: At tam citò? quare vos Caluiniſtæ tam citò mutamini? ego certè intra triduum multa audire de te ſiniſtra poſſum, quia tu facere potes. Itaq; ſi Cęſar tantillo tempore aliam aliámq; opinionem habuit, diuerſáq; mandauit, ſcito te tuóſq; materiam miniſtrâſſe: Vt eadem ſemper de vobis ſcribantur, ijdem eſtote. Neq; exemplo felicis in Superiore Palatinatu ſucceſſus, verſa ſunt à Bauaro arma in Inferiorem, ſed quia eò fraudulentus hoſtis Mansfeldius conceſſit, quem nemo prudens cogitare potuit, eò tendere, vt Catholicis à Veerio Anglo vexatis, opem ferret: docuit euentus Bauari arma Catholicis demum ſaluti fuiſſe. Quis tam albæ mentis eſt, qui fidat Caluiniſtis? induant aliam Religionem, alióſque mores, ſed meliores, & alium animum nos quoq; erga illos induemus.

CAMERARIVS.

Eant nunc qui Caluinianis ambiguam dubiámque fidem & fraudes tribuunt, Meritorium apud

Papiſtas, cùm Hæreticos decipiunt. ***Canones Conciliorum habent, quibus ſancitur***, Fidem Hæreticis datam ſeruandam non eſſe. ***Exempla maiorum habent: & hodieque praxim illam exercent: ſimul luget fatalem Euangelicorum cæcitatem hæc ætas, & indignabitur poſteritas.***

FABIVS.

Ire me iubes alióſq;, Camerari, neſcio quò, quòd dubiam fidem & fraudes Caluiniſtis tribuam. Omitte me mittere; nunquam ego tibi tuíſq; dubiam fidem tribui, ſed nullam; apud illos ſolùm dubito, qui mihi non penitus perſpecti; tu autem intimè cognitus, nunquam falles, non artis inſcitiâ tuâ, ſed experientiâ meâ. Aduerto verò iam quò me ableges, ad me ipſum, meóſque, vbi, vt tecum loquar, meritorium eſt Hæreticos decipere. Neſciebam te tantum Theologum, vt etiam noſtra myſteria noſſes. In quo autem Theologo Catholico tuum hoc confictum dogma, *meritorium eſſe Hæreticos decipere?* Vaniſſimus es, & nos in eo accuſas, cuius vos Caluiniſtæ rei eſtis. Quid doceatis neſcio, quæ faciatis ſcio, toti ex fraude compoſiti. Nulla nobis deceptio laudatur, quæ alijs incommodo eſt, ſola illa quæ iuuat & in iuſtum vſum cedit, apud nos locum habet, de qua Apoſtolus. *Cùm eſſem aſtutus*, ait, *dolo vos cæpi*. Vtinam & te quoq; hoc dolo caperem, vtinam & tu dignus eſſes, qui capereris? vel vinctus ires in Eccleſiam Chriſti,

quam

quam ex nimia libertate Caluiniſtica vanis conatibus oppugnas. Porrò pari fide aſſeueras, Canones Conciliorum noſtrorũ ſancire, *Fidem Hæreticis datam ſeruandam non eſſe.* Ego verò hanc Calumniam tuam iuſto nomine inſignire non poſſum; tu cùm fines modeſtiæ non habeas, nullos transgrederis. Qui ſunt iſti, Camerari, Canones? quę Concilia? Conſtantienſe Concilium qui edidit, ad marginem ſimile quid alleuit; ſed oro te, quilibet ſcriptor qui libros conſpurcat, tibi canonum fabricator eſt aut Concilium? Exempla ſimulatę fidei apud maiores noſtros, quos tu hîc Caluiniano iaculo figis, non habemus: Non neſcio quam lacunam moueas; Huſſus ille, infamis flammæ cinis fidem ſenſit fractam. Quam oro fidem? Sigiſmundus Cæſar dederat; ſeruauit. Concilium orbis Chriſtiani non dederat, quid rupiſſe exclamas? Aliud Concilium fecit; aliud Cęſar feciſſet, alia pollicitus. Nos verò etiam hodie praxim frangendæ fidei exercere, dictorum tuorum Caluinianorum coronis eſt; virtutes veſtras nos nouimus, vos exercetis, & fruſtrà lamentari incipis fatalem Proteſtantium cæcitatem; illi tuam cęcitatem potiùs irrident, quia ſi oculatus fuiſſes, nunquam in Regnum intrâſſes, ex quo rurſus exeundi non niſi inhoneſtam viam vidiſſes, fruſtráq; vis poſteritatem indignè laturam ſeſſitationem Lutheranorum, profuit illis ſpectâſſe tragœdiam; perſonam egiſſe, obfuiſſet.

CAMERARIVS.

Bauarus per Legatum ſuum, cum litteris fiduciarijs ſuâ manu ſubſcriptis, Regimini (vt appellant) in Palatinatu ſuperiori pollicitus fuerat; Si ſe prouinciámq; ſuam Cęſari dederent, cuncta ſe, tam in Politicis quam Eccleſiaſticis, priori ſtatu, omnéſq; ſub Iuramento Electori, naturali Domino antehac præſtito, relicturum eſſe: *& his aliiſque pollicitationibus deditionem obtinuit, quæ etiam ſub illa Conditione facta fuit. Nihil minus autem, quàm quod promiſſum, præſtitum, ſub prætextu,* Fines mandati legatum exceſſiſſe.

FABIVS.

Inſpexi Seren: Electoris Bauari litteras à te vulgatas, ſed hæc tua figmenta non reperi. Et quomodo promittere per Legatũ ſuũ Bauar⁹ potuit, ſe Omnes ſub Iuramẽto Electorali, naturali Dño antehac pręſtito relicturũ eſſe, cùm idem Legatus formulã iurandi Ciuibus pręſcripſerit, in qua à priori homagio (vti verba habẽt) Friderico præſtito planè ſoluti ac liberi renunciantur. E'ſtne idem tibi, Camerari, Ego te ex carcere libero, & te in illum compingo? deditionem autem factam his pollicitationibus, quas tu hîc exagitas, incaſſum ſpargis, teſtibus crederemus, tu amiſiſti fidem. Ne igitur mirêre non eſſe pręſtitum, quod tu volebas, nihil promiſſum eſt, & vanum eſt

etiam

etiam quod addis, prætenſum ab Electore Bauaro, Legatum exceſſiſſe mandati fines, tu veritatis exceſſiſti.

CAMERARIVS.

Ita *Jeſuitæ in ipſam primariam vrbem Ambergam introducti: & Idololatricæ Miſſæ impia ſpectacula publicè exhibita: ſubditis arma omnibus locis adempta: Iuramenta contra conſcientiã, in ſpeciem in verba Cæſaris, ſed reuera in vtilitatem Bauari, ipſis extorta.*

FABIVS.

Commodùm accidit Ieſuitas in benigniorem hoſpitem incidiſſe Ambergæ, quàm Camerarius ſit: non ſolùm focum aduenis non excitâſſet, ſed limine & vrbe pepuliſſet, adeò ægrè intuetur atratos iſtos Sacerdotes, qui *Jdololatricæ Miſſæ impia ſpectacula exhibent*; ita loquitur Stigmatici Caluini inſana ſoboles, quę progenitores ſuos velut idololatriæ damnare audet, niſi fortaſſe Camerarius Parentes non habuerit, ſed natus ſit ex Deucalionis lapidibus, qui adorare idola non ſolent, ſed fieri. Spectacula Miſſæ Ambergæ ſi impia ſunt, à ſpectatoribus, qui ſe immiſcent Caluinianis, impia ſunt, ſolent enim etiam pia impiare. Procùl eſte prophani. *Quia*, vt Philoſophus dicit, *malum eſt ex qualibet cauſa, bonum ex integra. Subditis*, ait, *arma omnibus locis adempta:* non inſipienter, mi Camerari. Qui ſeditionẽ vbiq;

vbiq; timet, vbiq; cauet. Si alibi tibi arma auferam, alibi relinquam; vno in loco, quia belli impotens es, paci tempus dabis; in altero bellum geres, pacis impotens. Arma ablata ſunt nequaquam in fraudem, aut damnũ Ciuiũ, ſed vt conſuleretur incolumitati præſidiorum, & neipſi, qui tradebant, cogerentur arma experiri, ſi vſurparent. Vtrinq; ita pax eſt; nobis cum ferro, quo non vtimur, vobis ſine ferro, quo vteremini, ſi eſſet. Sed cur in Sacramenta adacti Ciues aliena, & quidem contra conſcientiam? Quàm libens audio Caluiniſtas conſcientiæ, cùm ſcribunt, meminiſſe, nam cùm agunt, obliuiſcuntur. Quæ eſt iſta veſtra conſcientia Camerari? arctam illam minimè iudicare poſſum: quia tot terras, tot prouincias, imò tota aliorũ regna per eam transmiſiſtis; quanta vaſtitas? periuria, rapinæ, cædes, aliáq; ibi moram nuſquã facient, vbi tantæ rerũ moles peruium habent iter. Imò verò videor iniuriam inferre tibi Camerari, Conſcientia tua adeò propinquis diſterminatur limitibus, vt & ea quę bene fiunt illam inter anguſtias premant: Nam Ciues Ambergenſes Cæſari contra ſuam conſcientiam iurârũt. Nónne laudabile factum, ſi Cæſari Domino ſuo iurent? imò laudabile; & tamen adeò conſcientiam Caluiniſticam onerat, vt etiam contrà ſit & aduerſetur eorum pietati. Si eò venêre Caluiniſtæ, vt contra conſcientiam putent obſeruantiam, quam lege naturæ debent legitimo Domino, iuramento promittere, viciſſim idoneos

ipſos

ipſos non putemus, qui ſub eodem Imperij ſceptro nobiſcum degant; ſicut enim ipſis contra conſcientiam eſt Cæſari iurare, ita & contra conſcientiam erit, nobis qui Cæſaris Imperia colimus, amorem ciuilem & pacē præſtare. Porrò hæc ipſa ſacramenta, ſi in ſpeciem extorta ſunt in verba Cæſaris, vt Camerarius obgannit, quare ne quid contra conſcientiam fieret, etiam in ſpeciem præſtita non ſunt? non eſtis vos Caluiniſtæ tàm hebetes, vt artem hanc, cuius vos Magiſtri, non notetis, neq; tam Religioſi, vt non vſurpetis. Poſtulata ſunt iuramenta in Cæſaris verba ſeriò; Ciuibus, ſeu ſeriò, ſeu ſimulatè dixerint, ſeruanda erunt, aut ipſi non ſeruabuntur, non in vtilitatem ſolùm Electoris Bauari, ſed totius Reipublicę, cuius intereſt pacem, quæ vtcunq; in Palatinatu coaluit, vbiq; firmari.

CAMERARIVS.

Nec iuuat eam in rem facta ad Baronem Digbyum excuſatio, vel æquiuocatio potiùs. Legantur enim & probè conſiderentur tam Cæſaris commiſſio, tum ipſa iuramenti formula: conferantur autem illæ ceremoniæ cum Epiſtolis in Hiſpaniam ſcriptis: & clarè apparebit veritas, quam triſtis rerum euentus, ſtultorum etiam magiſter, heu nimium in dies ſingulos, magis magiſque comprobat. Etſi enim inter Cæſarem & Bauarum de transferendo in hunc Palati-

natu iam dudum conuenit, nihilque magis agitur, quàm vt ad effectum pleniſſimè negotium illud perducatur; nihilominus tamen Cæſarei Nominis *autoritas vſurpatur. Sic cum Hæreticis agendum, & de ſtatu ſuo illi vi & armis Ligiſtarum deijciendi: ſed ita tamen, ac ſi cuncta pro* officio Cæſareo *fierent.*

F A B I V S.

Sermo tuus, Camerari, non abſimilis ingenio tuo; tectus & obſcurus: excuſatio ad Baronem Digbyum facta cauſas legitimas habuit; quia enim tui non præſtitêre, quæ oportebat, fuit & nobis permiſſum alia conſilia capere, & quæ in rem erant Digbyo ſignificare; Commiſſionem Cęſaris & Epiſtolas in Hiſpaniam ſcriptas iam legimus; nulla in ijs pugna eſt: ſi triſtis inde rerũ euentus, cogitate vos autores, & æquiùs ferte; rideo autem, quòd *Euentũ ſtultorum magiſtrum* appelles, cùm tu eum tanquam magnus Diſcipulus, pręceptorẽ elegeris, quando malè expenſis rerũ momentis ſperâſti eum tibi æquũ & fauentem futurum. Iam didiciſti, quid te docuerit; mala ſcilicet conſilia magnis malis expianda: certè poſt curſum tam inſperatum rerum, multò iam es eruditior, ſed non melior; nam vt video adhuc ad Euentus ſcholas adſpiras, & experiri rurſus magiſtrum concupiſcis, perge ſi vis. Stultos hic Doctor vnâ lectione non docet; pluribus facit. Iam dudum inter Cęſarem & Electorem Bauarum

rum de transferendo Electoratu, ais, conuentum eſt: quamdiu cenſes eſſe, Camerari? ſcio quod tempus ſuprà falsò nominaris; hîc nullum deſignas, ſed quale quale illud ſit, auctoritas nempe Cæſaris vſurpari debuit, ſeu in vlciſcenda Palatini iniuria, ſeu in recipiendo Electorali honore. Bauarus autoritate ſuâ nihil cœpit, nihil finiuit. Neq; ideo ſic cum omnibus Hæreticis agendum eſt, ſed cum ijs tantùm, qui caput Imperij bello petunt, qui Rempublicam euertunt, vt ſuam conficiant. Facite & vos Caluiniſtæ omnia Cæſareo ſeu nomine, ſeu mandato; agnoſcemus vos Imperij ciues optimos, quia optima facietis.

CAMERARIVS.

Hinc Moguntinus, in reſponſo Bauarico Legato Ribelio 11. *Nouemb.* M. DC. XXI. *Aſchaffenburgi dato, Bauarum monet*, vt ſub nomine Cæſareo ille pergat cœpta perficere: *in eâque* omnes ſuas, ſociorúmq; vires & facultates *offert ac pollicetur. Et tamen addit:* Se & illos neq; Bohemicæ, neq; Palatinæ cauſæ immiſcere voluiſſe; atq; ita ab hoſtium inuaſione longo tempore tutos ipſos manſiſſe. *Hic enim præcipuus, imò vnicus ſimulatæ Vlmenſis Pacificationis ſcopus. Subtiliſsimum me hercle artificium. Ligiſtæ nolunt publicè dicere & fateri,* Se in cauſâ Bohemicâ vel Palatinâ in partibus eſſe. *Interim Moguntinus ipſe*

Digitized by Google

Marchionem Spinolam in Palatinatum ſuâ manu induxit; re & conſilio iuuit; militem ad defenſionem Palatinatus iturum tranſitu prohibere conatus eſt. *Bauarus* cum Ligiſtarum exercitu, Ligiſtarum ſtipendia merente (*de quorum onere ipſe Moguntinus in dicto reſponſo conqueritur*) Bellum in Bohemia geſſit; Superiorem Palatinatum occupauit; Ligiſtarum Exercitum in Inferiorem etiam Palatinatum tranſtulit; cum Hiſpano Milite coniunxit. *Moguntinus ipſe* ſuas ſociorúmq; opes *promittit. Exercitus S. Ligæ* totum Palatinatum miſerrimè in hodiernum diem affligit ac deuaſtat, *atque adeo alijs etiam Hæreticis, ad communem illorum omnium exſtirpationem, imminet. Ligiſtæ nihilominus*, Pacifici *omnino &* Neutrales, *vt Eccleſiaſticos decet, cauſæ Bohemicæ aut Palatinæ ſe nunquam immiſcuerunt.*

FABIVS.

Bauariæ Elector, omníſque Liga Catholica, primo belli anno, auctoritate ſuâ nihil in vos mouit, ne in Bohemos quidem, ſed Cæſari iniuſtè oppugnato ſuppetias tulit; altero anno, cùm Ligæ membra cœpiſtis dilaniare, Dux Ligę Bauarus cùm Ligę nomine poſſet, mandato tamen Cæſaris, velut in fœderum ruptores exercitum duxit, ad ſuas, ſociorúmque res tuendas. Atque tum primùm & Cæſaris, & Ligę etiam nomine, ſi ita vis, ſigna

terris

Digitized by Google

terris hoſtilibus illata. Quia verò Rheni prouinciæ à Veerio, Mansfeldióque vaſtabantur, ex Ligæ Catholicę conuentis, regimen militiæ ad Moguntinum Electorem pertinebat, quod tamen, quia ad eum diem publicus Palatini hoſtis non erat, atque à belli apparatibus haud ita inſtructus, in expertum bello Ducem, & iam Victorijs inclytum Bauariæ Electorem, ſuum imperium ſponte reiecit. Ex quo ſatis liquet Camerari, quoúſque Ligiſtæ neutrales, vt Eccleſiaſticos decet, fuerint. Ita tu loqueris per ironiam, & ſuggillas Eccleſiaſticos, tanquam in ſuum ſacrum munus peccantes, quòd neceſſaria arma tractent. Mi homo, noſſe debes, animũ oportere eſſe mitem Eccleſiaſticis, & à belli turbis abhorrentem; non tamen vecordem ac ſtolidum, vt indigna, quàm honeſta, pati malit. Cauſas belli dare, aut bellum excitare, non facilè laudauerim, propulſare autem, præſertim tam improbum, quale vos concitâſtis, neceſſarium exiſtimo & laude dignum. Quid putatis vos Caluiniſtæ? liceat vobis alienis inhiare, ferro quærere, omnia ſúſque déque vertere, & non liceat Eccleſiaſticis veſtras nimis longas manus demetere? ſuſpendamus pro tempore ad parietes roſaria noſtra, & gladium in vicem rotemus; precationis quoddam genus eſt, Caluiniſtas, omnem religionem peſſundantes, pacémque publicam turbantes exſcindere, atque omnem manſuetudinem ponere apud tam crudeles. Dices vetitum eſſe Clericis pugnare; ſed nego veti-

tum eſſe ſe defendere; nocere tantùm tibi cupio, quia tu mihi cupis; neque irregularis fio (liceat de Eccleſiaſticis eccleſiaſticè loqui) apud irregulares Caluiniſtas, etiamſi mea dextra det ingentis cædis aceruos. Tueri me & mea, natura docuit; ratio ſuaſit, Religio nulla vetuit.

In me quod ferrum Camerari ſtringis, habeto.

CAMERARIVS.

Spirenſis Epiſcopatus in meditullio Palatinatus Inferioris comprehenſus eſt: redituum ſuorum maiorem partem in ipſo Palatinatu, à ſubditis Electoralibus habet; ipſe Epiſcopatus in hæreditariâ tutelâ & protectione Palatinorũ Principum ab antiquo; quâ tamen ſe Epiſcopi nuper de facto exemerunt: Epiſcopi ipſi Capellani Electorum, quidam etiam Cancellarij Heidelbergenſes fuerunt: Elector Palatinus in locis & pagis Spirenſibus multos homines proprios & Regios, vt vocant; multa alia iura ſuperioritatis habet.

FABIVS.

Magnificè Camerari, & ſuperbè de neſcio quo palatino Spirenſis Epiſcopi famulatu, cùm ipſe & dominatum & omnia amiſeris; de tuo famulatu iam cogita, quia ad ſubſellia altiora nunquam ampliùs admitteris. Multa antiqua Principũ iura labentibus ſæculis antiquata ſunt. Spirenſis Epiſcopus ſuum inter Ordines Imperij locum

habet,

Digitized by Google

habet, non vt Palatini aut ſeruus, aut Capellanus, ſed vt Princeps, ſoli Cæſari ſubiectus.

CAMERARIVS.

Nihilominus cùm Generalis Anglicus, Horatius Veerius, pro militibus ſuis tantum hoſpitia, & annonam in vno alteróue pago Spirenſi petijſſet: ruſtici autem Veerianos vi & armis excludere conati, nonnihil multati fuiſſent: ſtatim cauſa ruptarum induciarum ab Hiſpanis illi caſui adſcripta fuit. Sic etiam, cùm Moguntinenſes ſubditi ex vicinitate aliquid incommodi ſenſiſſent, ſtatim querelæ per totum Imperium diſperſæ ſunt, Neutralem Principem hoſtiliter fuiſſe habitum.

FABIVS.

Id nimirum eſt, quod te aculeo figit: Epiſcopus Spirenſis Palatini propemodum mancipium, nihilominus hoſtis fuit, & per Germaniam Generalem Veerium calumniâ proſcidit, quaſi bellicâ iniuriâ Spirenſes colonos vexâſſet. Quid fecit igitur Camerari Veerius, ille maſculus Anglus? tantùm hoſpitium & annonam in vno alteróue pago Spirenſi petijt? ſed quo modo Camerari petijt? militari vtique & hoſtili: Quis verò eſt iſte modus petendi? exeas tu, vt ego intrem; ieiunes tu, vt ego comedam; vinum mihi porrige, tibi fons fluit; exue veſtem, vt ego tegar, pecuniam expedi, vt ſtipendium habeam.

beam. Hic modus apud hoſtes petendi eſt: Si colono diſpliceat, vapulat, ſpoliatur domus, inceenditur caſa. Spirenſes vi & armis tales hoſpites excludere conantes, mulctati ſunt à Veerio, inquit Camerarius; ciuilis nempe & amica mulcta eſt, ſanguine & cæde, ſua defendentes mulctare, & quæ inducias non rumpat! Quid ergo rumpet Camerari? pacem ego iudicem cùm me ferro trucidas? Eandem pacem experti ſunt Moguntinenſes, vt non mireris eadem queſtos.

Heu miſeram pacem ſectis ceruicibus offers.

CAMERARIVS.

Ligiſtæ Electorem Sæcularem Imperij primarium de omni ſtatu ſuo vi & armis deijciunt; auito patrimonio exuunt; cum Exercitu ſuo, hoſtiliter eius terras occupant, deuaſtant; cunctorum Hæreticorum (vt Euangelicos ſine diſcrimine appellant) internecionem ſpirant ac promouent; Interim Neutrales *eſſe volunt*, Bohemicæ aut Palatinæ cauſæ ſe nunquam immiſcuerunt. *Sed iuſtus eſt Dominus. Ipſi iam incendij cuius autores & faces ſunt flammam in ſuâ etiam domo ſentiunt. quæ, niſi reſtituto in integrum Palatino Electoratu ſuo legitimo & naturali Domino, nunquam extingui poterit.*

FABIVS.

Ligiſtæ nullum Electorem de ſtatu ſuo deiecere, ſed

homi-

hominem proſcriptum & publicæ paci noxium bello proſequuti ſunt, quod ſine terrarum deuaſtatione fieri non potuit; plura vos & magis horrenda patrâſtis in Cæſarem, Magiſtratum veſtrum; ſi malè, agnoſcite; ſi bene, & nos bene. Proteſtantium interneccionem, vti iam aliquoties memoraui non ſpiramus, ſed tua *caui ſpirant mendacia folles*. Iuſtus eſt omnino Dominus, vti tu hîc refers, atque idcirco vos pœnas datis, *auctorem ſcelus repetit, ſuóque premitur exemplo nocens*. Flammam, quam immortalem, niſi Palatinus reſtituatur, ſomnias, cum tempore deſeret pabulum: maiora incendia reſtincta ſunt; Quæ maxima ſunt, diuturna non ſunt, & nos mediocria non timemus.

Omnia feſtino poterit pede lapſa vetuſtas,
Præterquàm curas attenuare tuas.

CAMERARIVS.

Quo etiam loco illorum res & quàm dulces Bellorum fructus ſint, Moguntinenſis reſponſio Bauarico Legato data euincit: cuius veluti epitome ad Archiducẽ Leopoldum ab eodẽ ſcripta Epiſtola. Bauarus ſanè ſub Cæſareæ autoritatis clypeo, ſumptu Ligiſtarum, imò Hiſpanorum etiam opera & opibus, Palatinatum ſibi acquiſitum cupit. Sed quid Eccleſiaſticis rependit? Mansfeldicum & ſuum

militem; & hunc quidem, multorum menſium ſtipendia etiam cum ſeditionis periculo flagitantem, onere ſolutionis à ſe in Epiſcopos deuoluto; illis tranſmiſit, vt cum ruinâ ditionum Eccleſiaſticarũ autores harum turbarum dignas pœnas luant. Sed de his ſatis.

FABIVS.

Guſtârunt belli fructus Ligiſtæ vobis offerentibus, non ignari inter hoſtes hoſtilia ferenda : ſed guſtârunt tantùm; vos ad ſatietatem vorâſtis, & crepat tibi pr̨ magnitudine degulati mali venter. Aliorum ſumptibus, quod toties inculcas, Palatinatus Bauaro non acquiritur, ſed proſcripto & communi hoſti adimitur. Cæſaris iam eſt, eum tribuere, cuius meritis dignum cenſet. Mansfeldiũ & eius milites, Epiſcopis Bauarus pro compenſatione auxilij non ſubmiſit; nôſti cum qua fide Mansfeldius Palatinatu exceſſerit. Tillium potiùs ſubmiſit, qui ex Catholicorum prouincijs Mansfeldium eijceret, quod & factum: falſum autem eſt, quòd Bauarus onus ſolutionis militaris in Epiſcopos deuoluerit; quiſque id tantùm tribuit, quod pacto promiſit. Quis verò tibi retulit Bauari milites ſeditiosè flagitâſſe ſtipendia? cum fide & cura tanto iam tempore ex ærario numerantur; vos alienâ prædâ ditatis veſtros, & niſi raptores ſimul ageretis, nulli eſſetis milites.

Digitized by Google

CAMERARIVS.

Specialiter tamen hæc quoque conſideranda: Bauariæ Ducem vbique locorum gloriari, ſe pro ſingulari neceſſitudine Palatinum ab acceptatione Coronæ Bohemicæ ſeriò dehortatum; & vt monitis ſuis adeò fidelibus neglectis bellum ipſi moueret, obedientiâ Cæſari debitâ coactum fuiſſe. *In eam rem etiam nuper Monachij editæ inter Palatinum Electorem & Bauarum vltro citróque miſſæ Epiſtolæ. Tam anxiè enim in causâ indecorâ & iniuſtâ colores quæruntur, quibus oculis hominum præſtigias faciant, qui ambitionem animi, & priuatæ rei cupiditatem, ſanguinis Iuri prælatam indignantur.*

FABIVS.

Vt in libelli tui veſtibulo, vt poſteà paſſim, ita iam in fine quoque calumniaris. vbi tu conſpexiſti domeſticum Bauaricæ gloriæ theatrum? an túte animo concipere potes tantum Principem thraſonem agere, & gloriam per ambitionem ex re tantilla aucupari? Aliena illum theatra non vanis laudibus celebrant; etiam Europam nomẽ eius excurrit, quid laudum ex his rerum minutulis venaretur? Recto & Germano animo dixit, Palatinum tuum poſthabitis monitis ſuis, toties iteratis, ambitioni ſuæ obſequutum aduerſus Cæſarem obedientiam exuiſſe, ſéque ipſum in hæc mala præcipitâſſe. Editæ autem ſunt

Digitized by Google

epiſtolæ illæ, ad iudicium totrarū Orbi permittendum, Bauariæ Ducem hoc dediſſe ſanguini, vti Principem cognatum ab exitio auerteret: deinde verò ſpretis omnibus dehortamentis, potiora fuiſſe eidem Reipublicæ iura, Cæſaríſque iniuriâ appetiti reſpectum. Si ambitio pectus eius pulsâſſet; ſi auaritia ad nouas prouincias obtinendas traxiſſet, quid opus erat, vti etiam ſuprà memini, dehortari Palatinum ne amitteret, quod ipſe ambiret? Cauſa belli à Bauaro ſuſcepti nec iniuſta, nec indecora eſt, vti tegmine quæſito egeat. Bauarus autoritate Cæſareâ in perduellem Principem, qui non Cæſareo nomini tantùm, ſed & Catholicorum omnium fortunis imminebat, bellum mouit. Hæcne tibi iniuſta & indecora cauſa? tua tuorúmque iniuſta fuit, & ſi ſcire vis, turpiſſima, quippe in Cæſarem ſummum magiſtratum; ad aliena rapienda; ád nocendum tot innocentibus, ad vaſtitatem Germaniæ pertinebat.

CAMERARIVS.

Sed illo ipſo tempore, quo Epiſtolæ illæ dehortatoriæ ſcriptæ, Bauarus iam, vt ſupra deduximus, Translationis illo negotio ſemper diſsimulato, Palatinatus tamen promiſsionem à Cæſare habuiſſe videtur. Deinde cur Rudolpho & Matthiæ Imperatoribus, cùm in difficultatibus non minoribus verſarentur: & illi quidem à fratre Germano Coro-

na

na Bohemica vi ex capite deiecta fuiſſet; non eandem obedientiam & fidem præſtitit? In promptu cauſa eſt. Ab illis Palatinatum ſperare non potuit. Certè ne Ferdinando quidem auxilia promittere voluit ante fœdus Monachij ictum illis conditionibus, quas res ipſa & euentus nunc in lucem tam liquidò protraxit.

F A B I V S.

Immane hoc tuum dictum! ſapis an deliras? an Palatinatus promiſſionem Bauarus iam in ſinu geſtauit, quando tuum Principem monuit, vt alieni abſtinens ſuâ ſe contineret ditione? Quid ſi paruiſſet tuus Pinceps his conſilijs? ſupereſſe tum Bauaro ſpes potuit potiundæ deſponſæ prouinciæ? quæ illa ſpes? quis modus obtinendi? Quæ cauſa inuadendi innocentis terras? Non vobiſcum vtiq;, ſed cum cupiditate ſua geſſiſſet Bauarus Elector bellum; certè enim aut Palatinatum non ambiuit, aut præcipitatum tuum Principem voluit; non voluiſſe autem ipſum præcipitatum, docent Epiſtolæ, quę incolumitatis eius conſilia miniſtrant. Iam aliàs dixi, cur Bauarus Elector ſuppetias Cæſari Ferdinando ferre voluerit, quas Rudolpho Matthiæq; cùm non peterentur non tulit: maius inter hunc & Bauaros ſanguinis vinculum, maior Connubij nexus; ſed maxima cauſa, vos eſtis, ad perniciem Religionis ac Iuris humani ſati & nati,

Digitized by Google

qui cum vno Principe inſaniam veſtram cœperatis, cum omnibus finituri. Sed fini tu hoc loco potiùs inhoneſta dicta tua: putidiſſimum eſt, quòd vis à Bauaro, nec Cæſari Ferdinando fuiſſe promiſſum auxilium, antequam ſpem Palatinatus ex fœdere Monachij contracto haberet. Nihil de Palatinatu Monachij actum, nihil cogitatum, niſi hoc ſolùm, Palatinum fore prudentiorem, cautiorémque. Atque ideo maior fuit improuida temeritas veſtra, quam tanti Principes, antequam appareret, iudicio futuram non potuerunt comprehendere. Non voluimus vos malos, vti nobis bene eſſet, at vbi facti mali eſtis, voluimus punitos.

Lubet benigne Lector anchoram iacere in hoc contentionis ſalo, ne vento Heidelbergenſi tot tempeſtatum concitatore, raptus altiùs ferar; ipſe etiam Camerarius vela contraxit, lacrimaturus poſt tot iratæ linguæ proiecta verba.

Strangulat incluſus dolor, & vox faucibus hęret; inuolutus certè turbis quarum ipſe auctor, & tot infælicitatibus merſus, longâ morte moritur: occurrit noctes & dies ægroto malis animo velut horrificum ſpectrum, praui conſilij ſui infauſtus euentus; occurrit vanitas defenſionis, quâ innocentiam Caluiniſtarum incaſſum aſtruere conatur. Malè fecit, peiùs excuſat; vtrumque non neſcit, & ſentit gemina flagella, quæ miſerum pectus ſæuiùs lacerant, quàm vllus Tytij vuultur.

Quid

Digitized by Google

Quid enim? adhuc dicet nos auctores tam funeſti belli? Impudentia ipſa negat. Dicet adhuc nobis belli finem fuiſſe, Auguſtanę Confeſſionis exterminationẽ, & propagationem Catholicæ? Satis iam luit inuerecundũ os, quid alios pugnos expectat? Nos nec clàm, nec palàm conſilia iniuimus, aut de minuenda, aut tollenda vlla Confeſſione; ſed vos Caluiniſtæ in excidium religionis noſtræ conſultâſtis. Scis Camerari, ſuperſedeo repetere, quæ tibi Cancellaria Anhaltina ſuppeditat: Heilbrunna, tot arcanorum conſcia, recens teſtis eſt. Anno 1619. 12. Iunij in veſtro conuentu, cùm quidam Legatus Domini ſui verbis moneret, prouidendum Principibus de promouenda Euangelica (*Caluiniſtica*) religione, ita reſponderunt Proceres tui, & quidem miſsâ ad Dominum illum epiſtolâ. Quòd ad media, aiunt, attinet (inhæreo verbis Germanicis) quæ facere poſſe ſperat ad propagandum Euangelicam (*Caluiniſticam*) religionem, & minuendum ac euertendum Papatum, qualia ſunt ARMA, libri, prædicationes, & familiaris ac fida communicatio, perlubentes ſapientiſſimo nos conſilio ac voluntati (Dominationis veſtræ) modò viam ac rationem in ſpecie aperiat, accommodabimus, omníque quo poterimus ſtudio cooperabimur. Hæc illi è Conuentu, quorum non dubito tuus calamus Camerari miniſter fuit. Sed oro te effare; ecquid etiam placuit vobis ferrum ſanguine humano contaminandum ad propaga-

tionem

tionem Euangelij veſtri, & deſtructionẽ noſtri? non eſt iſthoc è Catholicis Caluiniſtas facere, ſed faciendos perdere. Quæ hæc eſt Euangelij propagatio Apoſtolica? ſi primi illi Chriſtianę legis Pręcones, Ethnicos ferro interemiſſent, quos conuertiſſent? Neſciebamus vos Caluiniſtas tam noſtri amantes, & tam valentes. Lutherani olim piâ miſeratione moti, neſcio ob quẽ morbũ veſtrum, infirmos vos fratres appellârunt, ſed vt video conualuiſtis, & viribus feroces ſacram militiam cogitatis, Euangelium ex bombardis annũtiaturi, vt Caluiniſticus ſonus in omnem terram exeat. Eatis, eatis Caluiniſtæ quócunque via & fata ferunt, modò eatis: in Germania ſint alij nobis Apoſtoli, aut nulli: nimis durum Verbum Dei, pro nobis ferrum eſt; & nos hoc ſtudium veſtrum, quo cooperari, vti loquimini, zeloſo illi vultis, lubentes remittimus, ſicut & ferrum vobis condonamus. Imbuat auctor opus.

Dicéſne porrò, Camerari, Vlmenſem pactionem ab Electore Bauaro, aliiſque Principibus violatam? imò verò dicere pergis, nam in libro Germanico, in quo arte tibi ſuetâ Cancellariam Anhaltinam, tanquam Hercules Augiæ ſtabulum expurgare niteris, audes ſcribere, ſupremum Bauariæ Cancellarium palàm & diſertè pollicitũ, Ne quidem (vtor tuis verbis) exceptionem banni locum habituram eſſe contra tranſactionem Vlmenſem. Quid inquis Camerari? vis vt Ampliſſimi Cancellarij verbis reſpondeam? Vereor ne nimis breuis reſponſio ſit; ſed

neque

neque ego longus ero: Caluiniſticè loqueris. Conuentio Vlmenſis prælo ſubiecta, etiam vulgi manibus teritur, quid ſimile in ea reperis? non omiſiſſes tam fauentem ſtipulationis illius partem, ſi tamdiues pollicitis Bauarus Elector fuiſſet. At amoueamus iſta: Vlmenſia pacta vos rupiſtis Camerari. Mansfeldius nocuit re & minis. Quàm ſuperbas & truculentas litteras ad Canonicorum Wirtzburgenſium & Bambergenſium Collegia ſcripſit? Quid non molitus eſt contra Catholicos? Quid cladis omiſit Pfriemdę, vnde Principem omnibus fortunis ſpoliatum & captum abduxit? certè exercitum etiam Bauaricum ideo inuaſit, vt iter ſibi in Catholicam terram ſtrueret.

Obſerua, quæ ſcribat Heidelbergâ ad Secretarium de Veyras, Angliæ Regis apud Sereniſſimam Infantem Bruxellis Reſidens Trumbulzius: Adnumerabo verba, prout è Gallicis à quodam Amico meo ſunt reddita. *Nullam*, inquit, *ampliùs ſpem eſſe ab armis ceſſandi, ex præcedentibus meis litteris intelligere potuiſti; Hæ verò confirmabunt, quæ ſuperioribus ſcripſi, ſimulque reddent certiorem me de inducijs prorogandis apud Marchionem Spinolam, quàm potui, optimè egiſſe: ſed repulſam, abſque vllis verborum ambagibus paſſus ſum. Origo verò huius negationis (vt dicitur) eſt, quòd Mansfeld violenter & hoſtiliter*

liter proceſſerit, non tantùm minacibus litteris, ſcribendo Capitularibus Wirtzburgenſibus, & Bambergenſibus, de reuocando milite, qui erat in Bohemia, ſed etiam aperto Marte eos proſequitur; iámque aliquos Pagos, ad eos pertinentes, combuſsit, Colonellum Baur hoſtiliter interemit, Baronem Groott vulnerauit, & in fugam duas turmas Croatarum vertit, quæ ſub ſignis Imperij militabant. Cùm igitur illi, & Landgrauius ex Leüchtenberg, in fœdere Catholico comprehenſi erant, negant firmiter & rotundè, ſe poſſe diutiùs vobiſcum inducias protrahere, permittendo, vt tam miſerè iugulentur Confœderati. Actum autem eſt, niſi Baro de Digby Viennâ procuret vobis aliquam nouam pacem. Hæc Trumbulzius Bruxellis 22. Iulij, Anno 1622. quæ, vti inducias, aut induciarum ſpem ſuſtulêre, ità pactionem Vlmenſem antiquârunt; Nam in illa, & ſibi & ſocijs Bauarus Elector cauerat. Hoſtis ſenſit igitur iure, quem prior, & contra datam fidem, vaginâ eduxit enſem.

Dices adhuc Camerari, Palatinum Cæſari amicam compoſitionem obtuliſſe & Pacem implorâſſe? Ne hodierno quidem die Pacem amplecti in animo habet, Socerúmque ſuum, Magnæ Britanniæ Regem, compoſitionis iucundæ auctorem, & ſuaſorem inſectatur in litteris ad Gaborē datis, hoc vigeſimo tertio anno, $\frac{13}{23}$ Iunij;

Rex

Rex Socer noſter, ait, *ad ineundas cum communibus hoſtibus neſcio quas inducias, tractationes ex tractationibus fruſtrà nectit; ſed nos reluctamur quantum poſſumus; & ſi Serenitas Veſtra, vt nobis pollicita eſt, citò caſtra ex Hungaria in vicinam aliquam regionem promouerit, nunquam nos induci patiemur, vt, contra datam fidem, vllam nobis Pacem obtrudi ſinamus.* Hæc Palatinus. Ex quibus primò intelligitur, à Britanniæ Rege, nequaquam Genero officium præſtari, ſi Pacem bello præferendam ſuadeat. Secundoloco intelligitur, Palatinum omnem Pacem procul habere & infenſo animo deteſtari, obligaſſéque Bellonæ ſuam fidem. Ideo in Epiſtola alia ad Gaborem Fratrem, hoc eodem anno miſſa, eundem ſtomachum ſuum malè affectum, copioſiùs effundit; *Quidquid*, ait, *inter Angliæ Regem & Hiſpanos actum; nobis inſcijs, & ſine vlla nobiſcum de illa re facta communicatione, actum fuit: Et quamuis ſub ſpe Ratificationis noſtræ concepta cuncta ſint, non tamen exſpectatâ noſtrâ voluntate, per totum ferè orbem Chriſtianum fraudulenter ſparſerunt, acta & transacta eſſe nobiſcum omnia. Sed nos, ſimul atque de ea re tota aliquid inaudiuimus, noſtras in contrarium rationes Regi Angliæ, ſicut & nuper, cùm ratificationem noſtram expeteret, eius-*

modi difficultates, incommoda, & pericula ob ocu-los poſuimus; vt ſperemus quidem, illum tandem aduerſariorum fraudes, & machinationes animad-uerſurum eſſe. Nec hîc finis. Poſtrema eius mens ne-quaquam pacatior, vltimo Iulij huius anni, ad eundem Gaborem hæc ſcribit. *Sciat verò, Serenitas Veſtra nos etiamnum in ſententia perſiſtere, nullas hacte-nus inducias admiſiſſe, nullos tractatus, nec admiſ-ſuros, ſi Serenitas Veſtra nos non deſeruerit, quod ne imaginari quidem nobis poſſumus.* En Pacis auidita-tem, Camerari! Quid nos belli incuſas apud eos, qui Bellum malunt? Scio, quid cupias: Inermes nos cum ar-matis vis paciſci. Qui nimium poſtulat, minimum au-fert. Si meliorem conditionem inermium eſſe cenſes, exue te; ferro libera femur. Si non cenſes, ſcito, nos eiuſ-dem opinionis: neque enim ſolis Caluiniſtis

Ingenium Natura dedit, Tutúmque videre,

Et nos videmus.

Dicéſne adhuc, Camerari, Proſcriptionem tui Palatini *multis nullitatibus obnoxiam*, ipſúmque contra ius & fas Prouincijs ſpoliatum? Si quatuor ante annos, ſi reliquo tempore, indormiente mundo, innocens habi-tus fuiſſet Princeps tuus; ſi cauſa ad hunc diem mortales latuiſſet, iam hodie omnes cognoſcerent, & dignum pronunciarent pœnâ, niſi lueret. Audi quid ſcribat in

lau-

Digitized by Google

laudatis iam litteris, Hagæ 3. Iulij Anno 1623. datis. *Videt igitur Ser.ᵗᵃˢ Veſtra* (Gaborem alloquitur) *quo in loco res ſint, & quantum periculum nobis & cauſæ communi, ereptâ omni ſpe, inpoſterum recipiendi arma, immineat; niſi celeritate Serenitas Veſtra vtatur, & hoſtium molitiones vno, eodémque repentino ictu ſemel abrumpat; Hoc ſi fecerit, & nobis animum addet, vt perſuaſiones & minas nos adorientium, ſpernere poſſimus, & Brunſuicenſis ac Mansfeldius eo progredientur alacriùs.* Hæc Palatinus. Vbi rurſus duo doceor. Primum eſt, nouũ crimen à Palatino admitti, palàm accerſendo hoſtem in caput Domini ſui; ad deuaſtationem Imperij, ad occupandas Cæſaris prouincias. Alterum, Conſilij ſui clancularios ſocios habere, qui formidine mali, minùs mali apparent; niſi forſan de induſtria hoc apud Gaborem iactitet Palatinus, vt faciliùs, imminuto metu, è ſeptem montium Vallibus armatum proliciat: Copias & vires plerumque verbis auget, qui deſiderat.

Atq; hoc mihi eò credibilius videtur, quòd eadem etiam arte vtatur in recentiſſimis litteris 31. Iulij hoc anno ſcriptis ad eundem Gaborem, vbi inter cætera vaniſſimâ iactantiâ hæc inſit. *Dux Chriſtianus Brunſuicenſis cum lecto Exercitu Tillium premit in Haſſia, conſumptâ iam vnâ atque alterâ illius legione, &*

coacto illo, caſtra mutare & pedem referre, Mansfeldius etiam iam progreditur, Domini Ordines terrâ marique negotium hoſti faceſſunt. Cuncti tenentur inter ſpem & metum, vnicâ expectatione, de progreſſu Ser^{tis} V^{æ}. Hæc glorioſus miles, vt Gaborem militem faciat. Quàm arctè autem, D I Boni, Dux Brunſuicenſis Tillium preſſit? conſumptæ ſunt fortaſſe legiones illæ in pocænijs caſtrenſibus, plerumque enim inter pocula ferrum calet, in pugna conglaciaturum: Ipſius potiùs legiones Tillius egregio certamine conſumpſit.

Ad Palatinum reuertamur omnia argumenta conquirentem, vt ad ſocium bellum Gaborem prolectet. Aſſentatione in cæteris vtitur, validiſſimo ad trahendum vinculo. *Progrediatur igitur* (inquit in epiſtola 23. Iunij huius anni) *cum bono Deo, felici ſucceſſu Serenitas Veſtra, & vt fortitudine & animi magnitudine nulli veterum Ducum cedit, ita etiam prudentiâ ſuâ, & ingenio ſublimi fraudes aduerſariorum declinet.* Iſta Palatinus, magnifica Gabori, quem credo tantópere non laudat, quòd multum fecerit, ſed vt faciat, taciturus poſt operam præſtitam. Plerumque enim in aliorum encomijs facundiores ſumus, cùm petimus, quàm cùm impetrauimus. Suſpecta mihi laus eſt, quæ tribuitur, vt tribuam. Libertas me laudet, non neceſſitas.

Sed

Sed haudquaquam ſatis eſt Gaborem ad Martis ſacra vocare, de Turca quoque adhuc ſpes affulget. An arbitrari poſſumus Comitem Turnium, tanto tempore Portam Conſtantinopolitanam pulsâſſe nullâ acceptâ ſtipe? Negátne Camerarius adhuc, cum Turca de bello aduerſum nos gerendo quicquam actum? Negat procul dubio, ſicut pleraque alia, quæ ideo fecit, vt negaret. Enimuerò ſerui loco, confitetur Dominus in eadem epiſtola, cùm ita fatur. *Cæterùm cùm intelligamus, Comitem Turnium Conſtantinopoli iam exceſſiſſe, nihil magis deſideramus, quàm vt breui fidum ad Nos hominem Serenitas Veſtra ablegare poſſet, per quem de conſilijs illius acutè edoceri poſſemus, quæ Serenitati Veſtræ neceſſariò ſignificanda duximus.* Siſte parumper hîc Camerari, & enuntia, quid tantopere cupiſcat ſcire Palatinus per fidum Gaboris hominem? An intelligere auet à Turnio, quàm bellè Turcarum Imperator valeat? quàm quietè dormiat? quo genere ludi ſe oblectet? Quid magnus Muffi agat? An cultro eius Turnius ſe permiſerit, & circumciſus ſit? Hæc vtique magnâ cupidine exſpectat Palatinus. Ah, mi Camerari, nouimus ingenium veſtrum, quod tamen tantum non eſt, vt ſe celare poſſit. Conſilia Turnius in rem præſentem adfert: Quæ illa? fortaſſe pacis? pax Conſtantinopoli non accerſitur, neq; ſi accerſeretur, Palatino placeret.

Nulla

Nulla ſalus Paci, Bellum te poſcimus omnes.

Et Palatinus & Camerarius clamant in ſuum aliorúmq; exitium. Quid refert? ſi pereundum eſt, ita pereamus, vt pereuntibus pauci ſuperſint: cum fractis fractus illabatur Orbis: Nulla nobilior ſepultura eſt, quàm ſtrage terrarum tumulari.

Verùm vt finem tandem verbis imponamus; quid ſupereſt vſquam ampliùs, Camerari, quod veſtra facta eleuet? Alia & noua conquire, latebras ingenij tui excute, ſocios adſciſce, conferte laborem: præter ſolem etiam lucernas conſumite; confabulamini, muginamini, ſuſurrate, componite; partem hic ſuat, partem iſte ſarciat; aliquid procudite, aliquid protrudite, aliquid ſpargite. Quòd ſi nihil huic ſtudio, dignum re tantâ, obuiet, de nihilo Caluiniſticâ potentiâ create; quæ adhuc cogitâſtis, quæ finxiſtis, quæ ſcripſiſtis, nolite repetere, iam ſcimus omnia, ſed iniquitate cauſæ veſtræ ſuperantur. Nulla certè cauſa tanti motus eſſe potuit; quanquam quælibet eſſe potuit apud Caluiniſtas, qui incredibilia nobis audent, incredibilia ſibi patiuntur: Si in extremo præcipitio veſtro, Camerari, aliquam adhuc ſalutem amas, depone tumentes ſpiritus, depone furorem tam noxium; memoriâ excute, quidquid tuis partibus fauere videtur; attende ad plurima, quæ vobis aduerſantur; & hæc indice demonſtra Principi tuo, quem ineuitabile fatum circumſiſtit, facturum è miſero æternum Orbis

Ludi-

Ludibrium. Aduerſum vos cauſa militat; Magiſtratus militat; Deus militat. Quæ enim eſt cauſa veſtra? alienum regnum rapuiſtis; Cælum & terra damnant: non rapuimus dices; ſed oblatum accepimus; ablatum oportebat dicere. Quid enim? an mihi licet oblatam vxorem ducere, quam alteri nuptam ſcio? Sciuiſtis vos Ferdinando Bohemiam deſponſam, ſciuiſtis Ferdinandum legitimum Bohemiæ Regem, atque adeò agnouiſtis, imò Regem profeſſi eſtis Francofurti, cùm in Septemvirûm conſeſſu locum ei conceſſiſtis, cùm ſuffragantem audîſtis, cùm calculum eius numerâſtis, cùm Bohemos Coronæ vſurpatores, à ſummo illo ſenatu, quem per impudentiam affectauerant, ignominiâ rubentes repuliſtis. Itaq; non neſciebatis Camerari, vobis aliena deferri, & quidem illa, quæ iam Cæſaris erant, vt, niſi maiore cum crimine, acceptari non poſſent. Quid ergo cauſa vobis patrocinetur? Magiſtratus contra vos militat; magnum nomen, & quod natura etiam in proiecto homine vereatur; nec paruum ad vincendum momentum; aduerſus minores & rebellantes, rarò maiores fortuna deſerit, nec vis fati ſinit, ſeruum vincere, vt Dominus ſeruiat. Deus aduerſum vos militat, quod vni ſoli non attenditis, calamitatibus credo attoniti. Cuius enim alîus ſententiâ luiſtis, quando acerbiſſimâ verſurâ, vnum Regij faſtus & triumphi annum ſoluiſtis. Iacturâ omnium ſeu veſtrarum, ſeu alienarum rerum factâ;

Digitized by Google

Regnum Bohemiæ, nobilis ad Pragam pugna & ferrum victrix ademit. Palatinatus vterque vel Hiſpano, vel Bauaro Marti ſuccubuit: fruſtrà primùm obnitente Durlacenſi, cum validiſſimis copijs, memorabili prælio cæſis. Succeſſit in partes vobis auxiliares Halberſtadienſis; ſed & hic pugnâ victus, terram veſtram, cui opitulatum venerat, calamitoſiorem reliquit, quàm inuenerat. Is ipſus hoc anno rurſus magno exercitu ſtipatus, & vaniſſimo animo Bohemiam recuperandam complexus, malum Cæſari minabatur, minas ipſe experturus: magnâ certè clade à Tillio fortiſſimo Duce affectus ad Hollandos turpiter profugit. Si vnquam, Camerari, dubiæ mentis fuiſti

Curarent Superi terras, an nullus ineſſet
Rector, & incerto fluerent mortalia caſu

Dubium iam ponere potes, & cum eodem Poëta dicere,

Abſtulit hunc tandem Friderici pœna tumultum,
Abſoluitque Deum.—

Ille Deus eſt, ille eſt, qui veſtras haſtas hebetat, & noſtras acuit. Vincimus vos plures, per vnum: vincimus fortiores, adiuti ab vno: vincimus apertè, vi iuſtâ, virtute heroicâ, more antiquo, vt minimè ciuiliter tuus Princeps ad Gaborem hæc ſcribat. *Quibus artibus ac technis inimici noſtri, non minus quàm armis nos circumueniant, ac oppugnent, Serenitas Veſtra cum*

pro ſua ſingulari prudentia, tum ex propria experientia ſatis nouit. Certè plùs ipſos fraude, quàm Marte, plùs dolis & proditione, quàm virtute & fortitudine conſecutos eſſe, euentus ipſe comprobauit, & plurima in promptu ſunt eius rei teſtimonia. Huc vſque Palatinus, qui teſtimonia ſine teſtimonijs iactat, neque tu Camerari vlla proferes: nos veræ fortitudinis teſtem habemus Orbem, vos fraudum & technarum, quæ adhuc autoribus obfuerunt, documento Mortalibus, execrari Deum doloſos iuxtà ac rebelles, nec velle ad clauum alium eligi, alium ſedere.

REX IVPITER VNICVS ESTO.

ERRATA.

Pag. 26. v. 6. adde, Imperium. 27. v. 3. lege, Smalcaldici. 34. v. 4. à fi. l. datæ. 43. v. 7. ſi malis, lege, redundaturum. v. 13. atqui. 139. v. 4. malebat. 142. v. vlt. vſquam. 160. v. 14. illæ. 184. v. 1. quis. 193. v. 5. Papauera. 228. v. 12. pacem. 232. v. 3. diſſuaſit.

Reliqua beneuolus Lector facilè per ſe corriget.

FINIS.

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google